CONSTITVTIONES EDITAE

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſſimo D.

EMANVELE BRANCATIO EPISCOPO ARIANENSI

In prima Synodo celebrata In Eccleſia Cathedrali.

Anno 1668.

12 Maii



Viterbij ex Typographia Brancatia. 1669.
Apud Petrum Martinellum.

Superiorum permiſſu.

EDICTVM
INDICTIONIS SYNODI.
EMANVEL BRANCATIVS

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Arianeñ; Regiuſq; Conſiliarius.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diœceſis noſtræ gratiam, & ſalutem in Domino ſempiternam.

SAcri Concilij Tridentini decreta exequi cupientes, abſoluta totius Diœceſis Noſtræ, vt Epiſcopale munus exigebat, viſitatione, Synodum Diœceſanam, diuina auxiliante gratia, conuocare exiſtimauimus, in qua conſilio eorum, qui cæteris præſunt, animabuſque curandis incumbunt, ea quæ ſaluberrima ad eas iuuandas comperta fuerint ſtatuantur; nam cum prona ſemper ad malum fragilitatis humanæ cōditio ad illicita relaxetur, licet præteritis Synodalibus cōſtitutionibus à Noſtris præſertim Prædeceſſoribus Epiſcopis editis penè omnibus conſultum ſit, nihilominus remanent ſemper & ſcoria, quæ purgentur, & neceſſitas inuigilandi, ne iterum præciſa repullulent, & non benè euulſa reuiuiſcant: Fauente igitur Deo in die Sanctorum Ne-

rei, & Achillei, quæ erit duodecima Menſis Maij proximi, dictam Synodum habendam indicimus; monemus itaque, ac ſub Sacrorum Canonum pœnis, & alijs noſtro arbitrio infligendis mandamus, vt omnes, qui iure, aut conſuetudine conuenire tenentur; iuxtà ſuorum ordinum exigentiam Sacris induti veſtibus die prædicta ad Eccleſiam noſtram Cathedralem Beatæ Mariæ Virginis Aſſumptæ dedicatam accedere ſedulò curent, nec à Ciuitate diſcedant, niſi peracta Synodo, & benedictione à Nobis impertita. Cæterum omnes ad id adſtricti perſonaliter accedant, niſi legitima cauſa à Nobis etiam approbanda fuerint excuſati. Volumus autem, vt hæc ſacroſanctæ Synodi indictio in valuis prædictæ Cathedralis Eccleſiæ Arianeñ, & aliarum Eccleſiarum Parochialium Diœceſis affixa perinde omnes, & ſingulos intereſſe debentes afficiat, ac ſi fuiſſet perſonaliter intimata. Datum Ariani ex Noſtro Epiſcopali Palatio die duodecima menſis Aprilis 1668.

Emanuel Epiſcopus Ariani.

Loco ✠ ſigilli.

De Neapoli Cancellarius.

Ad

Ad honorem Sanctiſs. Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, B. Mariæ Virginis Aſſumptæ, ac Sanctorum Othonis, & Eleazarij Patronorum.

PROEMIVM.

POST noſtram ad huius Eccleſiæ Paſtorale culmen, licet non noſtris meritis euocationem, diuinæ ergà Nos gratiæ memores eſſe debemus, qui Nos per dignationis ſuæ miſericordiam ideo ad faſtigium iſtud prouexit, vt mandatis eius, & Sacrorum Conciliorum ſanctionibus inhærentes in quadam eccleſiaſticorum Nobis commiſſorum ſpecula conſtituti prohibeamus illicita, & ſequenda doceamus. Prò Paſtoralis ergo officij conſideratione non eſt Nobis diſſimulare, non eſt tacere liberum, quia maior Nobis cunctis Noſtræ Diœceſis Sacerdotibus zelus incumbit, portamus enim onera omnium, qui grauantur, cùm neminem infirmari audiamus, quin, & Nos etiam infirmemur, neminem ſcandalizari, quin, & Nos vramur. Hanc enim obſeruantiam omnibus quidem Sacerdotibus congruam, ſed Nobis permaximè neceſſariã eſſe agnoſcimus, ideò poſt ad hanc Diœceſim aduentum, cum primum viſitationis labores fuiſſemus aggreſſi, ſuprema tandem impoſita Diœceſanæ emergit Synodi conuocatio, & ſanè geſtientis animi deſiderio complexa temporis opportunitas eſt, tum vt ſanctorum Patrum decretis, & in primis Sacri Concilij Tridentini Conſtitutionibus pareremus, tum vt ijs, quæ ex Noſtra hac viſitatione remedijs indigere cognouimus, remedia exoptata afferremus, & licet ad exiguitatis noſtræ tenuitatem, & ad impoſiti muneris magnitudinem reſpicientes propheticum illud poſſumus iure optimo proclamare, *Domine audiui auditionem tuam, & timui, conſideraui opera tua, & expaui.* Alleuat

tamen animum Noſtrum Dei Omnipotentis gratia, ipſe enim vt multum à Nobis diligeretur, multa prius dimiſit, multa deindè commiſit, & vt eamdem gratiam ſuam faceret mirabilem in Nos munera ſua contulit, in quibus meritorum ſuffragia non inuenit, quamuis ergò Nos ad explendam Noſtri officij ſeruitutem infirmi inueniamur, & ipſius noſtræ conditionis fragilitate retardemur, non deficimus tamen, tum quia non in Nobis, ſed in illo confidimus, qui operatur in omnibus, & velle, & perficere, tum etiam quia Paſtorum Princeps Chriſtus ita Nobis ſuarum ouium curam delegauit, vt tamen dilecti ſui gregis cuſtodiam non dereliquerit. Quamobrem in hoc pio noſtro deſiderio non deſiſtimus omnes obſecrare per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri, vt Nos precibus, & votis apud eumdem Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis iuuare ſatagant, vt in hac morum reformatione, quam tanto animi affectu, & caritate intendimus, ac Synodalibus decretis executioni mandare curamus, ſpiritum gratiæ Deus Nobis infundat, vireſque ſufficientes oneri, ac regimini huius Diœceſis tribuere non dedignetur.

De fide, eiuſq; profeſſione emittenda. Cap. I.

PIa Sanctorum Patrum docuit antiquitas, & Catholicæ Eccleſiæ vſus obtinuit, vt in Synodalibus Conſtitutionibus ordinãdis orthodoxæ fidei profeſſio initium præſtaret; vtpotè cum totius ſpiritualis ædificij fundamentum ſit fides, ſine qua, vt ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo; quo peracto, feliciùs virtutum ſtructura conſurgat. Quamobrem iuxta Sacri Concilij Tridentini decreta, & fel. record. Pij IV. conſtitutionem, eam fieri volumus ab omnibus, qui huic Synodo quacumque ratione interſunt. Præſtabunt etiam & ij, quibus beneficia curata collata ſunt; ſimiliter Canonici, & Dignitates infra bimeſtre, à die adeptæ poſſeſſionis coram Nobis, vel Vicario Noſtro, & Capitulo ad præſcriptum decreti Sac. Conc. Trid. alioquin fructus nõ faciant ſuos, eoſque à nemine præterquam à Summo Pontifice condonari poſſe denunciamus: ſimulque qui quomodocumque, aut vbicumque liberales artes, ſeu diſciplinas, vel ſcientias do-

ćturi, etiam ſi ſint prima rudimenta Gramaticæ, Concionatores, atque etiam ad confeſſiones audiendas admiſſi, atque approbati ſub pœna librarum ceræ albæ elaboratæ centum pijs vſibus arbitrio Noſtro applicandæ; præter alias pœnas à Sac. Conc. Trid. ſtatutas, & in Bulla Pij IV. contentas.

Præterea vt oues, quas Nobis Deus tamquam Paſtoribus credidit puriſſimam de fontibus poſſint aquam bibere Saluatoris; ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, ne libros Hęreticorum hæreſim continentes, vel de religione tractantes ſine authoritate Summi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legant, vel quauis ex cauſa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore retineant, vel quomodolibet defendant; talis enim pœna ijs infligitur in cap. primo Bullæ Cœnæ Domini, & idcircò in eos tamquam de hæreſi ſuſpectos inquiri, ac procedi liceat. Alios etiam libros obſcenos, ſiue alia de cauſa prohibitos etiam vitent; ſi enim, Apoſtolo teſte, corrumpunt bonos mores colloquia praua, quanto magis, & libri praui, cum quibus lectores diù colloquuntur, non mores ſolùm, ſed ipſam etiam valebunt eneruare fidem; & vt nullus in poſterum de ignorantia in huiuſmodi tranſgreſſione poſſit excuſari, mandamus ſub pœna ammiſſionis librorum, vt quicumque non habet indicem librorum prohibitorum nouiſſimè Typis editum, vt iuxtà illum prohibitos vitare poſſit, conficiat fideliter notulam ſuorum librorum, eamque afferat infra duos menſes ad noſtræ Curiæ Vicarium, & iuramēto affirmet ſe alios, præter illos in notula deſcriptos non retinere, quem catalogum manu ipſius Vicarij ſubſcriptum apud ſe reſumant conſeruandum.

Sub pœna item excommunicationis latæ ſententiæ nunc vel in poſterum in noſtra Diœceſi habitantes, non ſolum hęreticos manifeſtent, ſed & ſi quempiam ſcierint alicuius hæreſis nota ſuſpectum exiſtere, aut quouis modo à fide Catholica aberrare, ſiue hæreticalia verba proferre, vel Hæreticorum more viuere, aut eorum eſſe ſectatorem, fautorem, aut defenſorem ad Nos confeſtim deferant. Contra communes enim hoſtes pro ſalute communi vna communis debet eſſe vigilantia; nè de alicuius membri vulnere alia etiam poſſint membra corrumpi. Qui ergo tales nō manifeſtandos putat, in Iudicium, & laqueum incidat diaboli, &

in-

inueniatur reus ſilentij, licet non contaminetur aſſenſu.

Et nè inter ipſa quoque ſemina fidei vlla oriantur Zizania, nemo temerè audeat Sacræ Scripturæ verbis ad iocum, ſcommata, contumeliam, fabulas, aſſentationes, detractiones, aut quoſuis profanos ſenſus abuti, & quicumque in hoc deliquerint ex Concil. Trid. præcepto moneantur; Sic etiam laici, alijque, qui Theologiam, ſacraſque litteras non ſunt edocti, ſi de fidei myſterijs diſſerere audent, & ſi moniti noluerint abſtinere, ad Nos deferantur.

De Maleficijs, Veneficijs, Incantationibus, & Superſtitioſis Conſuetudinibus, & Diuinationibus. Cap. II.

QVia igitur nouerat nullam ad hæreſes introducendas viam eſſe apertiorem, quàm per ſuperſtitiones, cum hæreſibus magica illuuies ancilletur, hinc antiquus hoſtis monſtra illa in mundum inuexit. Et ſicut ad decipiendos noſtros primos genitores miniſterium ſibi ſerpentis aſſumpſit, ita maleficiorum, & diuinantium linguas ad ſeducendos bonorum animos veneno ſuæ falſitatis armauit, ideò ad fidei puritatem ſeruandam, & nè indoctum vulgus, rudeſuè mulierculæ talibus Dæmonum laqueis facilè irretiantur; mandamus omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, quatenus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda Nobis, vel noſtro Generali Vicario illos, quos huiuſmodi crimine nouerint inquinatos, deferant, ac denuncient, vt qui ſolemni ſponſione, vel pacto ſimplici cum antiquo illo, & veteratore ſerpente, à fide Catholica apoſtatando, maleficijs, ſortilegijs, incantationibus, & facturis (vt vulgo dicuntur) aliquem læſerit, adeo quod mors indè ſequatur, Curiæ ſeculari tradatur debitis pœnis puniendus iuxtà conſtitutionem fel. recor. Greg. XV. quæ incipit ***Omnipotentis Dei &c.*** Si verò infirmitas tantùm, vel impotentia coëundi, generandiq; vel diuortium, vel damnum aliquod hominibus, animalibus, frugibus, vel alijs fructibus inferatur notabile, perpetuò is carceri mancipetur, & muro claudatur.

Qui

Qui verò cuiuſuis generis magicas exercent artes, quæ non ſolùm expreſsè, ſed etiam tacitè cum Demonibus pactum inuoluant præſertim effectum matrimonij faſcinatione impedientes, immo etiam id ſuadentes, mandantes, vel quomodolibet auxilium, operamuè præſtantes, ſint ipſo facto excommunicati; præterea nemo ſuperſtitiosè faſcinationes illas diſſoluat, ſed tam ij, quàm quicumque magorum, lamiarum, ſtrigarum, & ſimilium peritiã, ſeu potiùs inſcitiam conſuluerint, vel eis fidem, fauorem, & auxilium præſtiterint, vel quomodolibet cum eis ſe intromiſerint; quamuis de tali crimine ſint ſolùm ſuſpecti, ad Nos deferantur prius admonendi, deindè ſi non reſipuerint canonicè puniendi, nec à ſuperſtitioſis permittant ſe decipi, qui ſacra verba dolosè miſcent, & non niſi ſacra continere perfidè docent. Non enim poſſent edaces illi lupi oues fallere, niſi ſub Chriſti nomine, & ouina pelle tegerent rabiem beſtialem, brutalem, & lupinos mores nam ſuperſtitio eſt vana religio, ac falſæ pietatis ſimulatio.

Diuinationes etiam omnes prohibentur præſertim quæ fiunt per chiromãtiam ab Ægyptiacis mulieribus ex manuum lineis futura ineptè, ac dolosè affirmantibus, & eò magis, quæ fiunt per Aſtrologiam iudiciariam, prædicentes ex hominum genealogijs futuros euentus ex humana voluntate merè dependentes ſub pęnis in conſtitutione Sixti V. contentis, quæ incipit *Cæli, & terra &c.* promulgata anno 1585. & innouata ab Vrbano VIII. conſt. *Inſcrutabilis &c.* promulgata anno 1631. Kalendis Aprilis.

De Blaſphemijs. Cap. III.

EST tam nefarium, ac deteſtabile ſcelus blaſphemia, vt Diuus Auguſtinus dixerit, Non minus peccant qui blaſphemant Chriſtum regnantem in Cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. Illum iſti, ſi non manu, lingua tamen percutiunt, & gladio linguæ occidere non verentur. Hortamur igitur in Domino, & mandamus omnibus Chriſti fidelibus, quatenus ſi quos Deum, (quod abſit) vel Beatam Virginem, alioſque Sanctos blaſphemãtes audiuerint, ſtatim ad Nos, vel ad noſtros deferant

officiales, ne partem cum ipſo preuaricatore habeant; vt autẽ ſtimulus Chriſti fidelibus ad publicos blaſphemos denunciandos addatur, ſciant decem annorum indulgentiam à Concil. Later. ſub Leone X. Pont. Max. conceſſam illos reuelantibus; ad hoc vt iſti publici, & ex peruerſa conſuetudine blaſphemi, iuxta Conſtitutionem Gregorij IX. corrigantur, ideſt laicus, qui Deum, vel Beatam Virginem auſus fuerit blaſphemare, ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ ligatus, corrigia circà collum ſiſtatur, ſeptemque ſextis ferijs in pane ieiunet, & aqua, nullatenus per id tempus Eccleſiam ingreſſurus, cum moneat Apoſtolus, publicè peccantes, publicè eſſe corripiendos, vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam. Et ſi fuerit Clericus prò prima vice fructibus vnius anni omnium, & quorumcumque beneficiorum ſuorum; pro ſecunda, beneficijs priuetur; pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur; & in exilium mittatur. Quod ſi Clericus nullum beneficium obtinuerit, pœna pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur; pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur; & ad triremes mittatur. Et hanc vltimam partem Conſtitutionis amplexa eſt, quo ad aliquam partem, Pragmatica Regni Neapolitani ſtatuens damnari tales blaſphemos per quatuor annos ad triremes, quam obſeruari à Magiſtratibus Nobis ſubiectis deſideramus, illoſque ad hoc in Domino vehemẽter hortamur; quod enim in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Præterea non ſolum ſupradicti, ſed omnes, qui publicè blaſphemant ex praua conſuetudine à nemine abſoluantur, cuius ſceleri etiam annectimus cenſuram excommunicationis latæ ſententiæ; qui verò blaſphemant, ſed non publicè, ab ijs tantum abſoluantur, qui habent facultatem abſoluendi à caſibus Nobis reſeruatis, & hoc ideo ſtatuimus, vt pernicioſitas, & lues ſordidiſſima omninò exterminetur.

De Cultu Diuino, & Feſtorum celebratione. Cap. IV.

CVm placendum ſit Deo etiam in habitu corporis exteriori, vt Diuus Cyprianus ait, mandamus, & hortamur in Domino Eccleſiaſticos omnes, vt negligentiam in opere Dei fugiant, nè ſuper ſe inducant maledictionem; Munditiam ſectentur in veſtibus,& cæremonias perfectè calleant. Quamobrem decernimus, quod in collationibus caſuum ex præſcripto faciendis,per ſeniorem ſaltem loci Presbyterum, & magis idoneum; rituum, & cæremoniarum Miſſalis,& Breuiarij Romani lectio habeatur,& diſceptationes miſceantur. Nec non vnumquodque Collegium, ſiuè Capitulum Eccleſiæ quamcitius emendum curet expoſitiones ſuper eaſdem rubricas, ac ritus, opus Bartholomæi Gauanti Clerici Regularis; ad ſummum infra menſem ſub pœna ducatorum trium; & in Armario Sacriſtiæ retineatur per Procuratorem pro ipſorum commoditate. Presbyteri, & Clerici, qui ſuperpelliceo, ſiuè alba immunda, vel lacerata vtentur, pro qualibet vice tribus ceræ elaboratæ libris mulctentur. Sacriſta, qui ornamenta Eccleſiaſtica,vel malè habita vel conſciſſa,aut corroſa videbit, & ſuperiori non deferet, pœnam carceris per duos menſes, & vnius ducati luat, quæ mulctæ Eccleſiæ ſacreſtiæ applicentur. Feſtorum celebratio, obſeruatioque pœnè in hac Diœceſi defecit, adeò vt vix inter feſtos, & feriales dies diuerſitas dignoſcatur præ multitudine laborantium; vt autem cultus in priſtinum reuocetur, Mandamus R.R. Vicarijs foraneis ſub pœna ducatorum ſex pro qualibet vice applicandorum pro medietate reuelantibus, vt licentiam laborandi non concedant, niſi in caſibus expreſſis in litteris Sacræ Congregationis; licentiam autem gratis dandam in prædictis diebus, & in caſibus permiſſis concedere ſpectat ad Vicarios foraneos, non autem ad Curatos, niſi ipſis foraneis abſentibus, vt ex decretò Sac. Congreg. pro Archiepiſc. Materano 18. Nouembris 1592. videlicet diſpenſare ſuper feſtorum obſeruatione ſpectat ad Vicarium licet foraneum, non ad Archipresbyterum. Tranſgreſſores verò pœnam trium librarum ceræ albæ pro qualibet vice ſubibunt, at venden-

tes, ſiuè negotiantes ammiſſionis rerum venalium applicandarũ locis pijs: quarum applicatio pœnarum fiat, Nobis vel noſtro Vicario Generali prius conſultis. Animaduertàtque quòd in caſibus etiam permiſſis, adhuc petenda eſt licentia, neque propria authoritate id ſibi vſurpent. Executiones perſonales, ſiue reales nullo pacto, prętextuque in cauſis ciuilibus fiant in his diebus, ſub pœna excommunicationis, etiam pro fiſcalibus ſolutionibus, vel curialibus; cum experientia cognouerimus homines huiuſmodi vexationis metu, à conueniendo in Eccleſijs deterreri, & præcepto audiendi miſſas non ſatisfacere. In hiſce quoq; feſtis diebus iuramenta non præſtentur, vel exigantur in iudicio; quæ verò præſtari contigerit in contractibus prohibentur etiam ſine licentia ſub pœna nullitatis contractus: pro forenſibus autem de facili concedetur, vt Sacra Congregatio cenſuit reſpondendum Epiſcopo Gallipolitano 26. Iunij 1590. Quia Puellæ nubiles ruſticæ, & gregum cuſtodes, prohibentibus parentibus, ac Dominis, miſſas audiendi præceptum ſe aſſerunt obſeruare non poſſe; mandamus idcircò Rectoribus, Curatis, vt perſepè inter Miſſarum ſolemnia parentibus, ac Dominis inculcent ſe diuinam vltionem non effuggere, & alienorum peccatorum reddituros rationem; ideoq; cum effectu faciant ſeruos, & familiam ſub ſe conſtitutam ad Miſſas audiẽdas conuenire, alioquin contra ipſos procedetur ad pœnas impoſitas contrà Miſſas per menſem continuè non audientes; quæ eſt interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ; Immò puellæ vix quinquies in anno Eccleſiam adeuntes ſint ipſo facto excommunicatæ. At verò ſi per illas non ſteterit parentes, qui id eis non permittunt, hac cenſura innodentur.

Decretum Sacræ Congregationis pro Feſtorum celebratione.

Congregatio Concilij cenſuit licere diebus feſtis dare operam rebus ad vitam neceſſarijs, ac tempore perituris, præſertim tempore vindemiarum, ac meſſium, & recollectionis fructuum, vel vbi neceſſitas vrgeat, ac pietas ſuadeat. Cæterum quoniam verendum eſt, nè priuatis affectibus domeſticarumque rerum ſtudio, alio-

quin eò perducantur, vt hac ſacrorum Canonum indulgentia in aliȷs etiam caſibus abutantur. Iidem Patres Illuſtriſſimi adijciunt ad ordinarij cuiuſque Iudicium, ac cenſuram pertinere, vt dignoſcat num verè vlla ex cauſis ſupradictis ſubſit, propter quam liceat diebus feſtis rebus ſeruilibus vacare, nè dierum feſtorum obſeruantia vlla in re violetur, nec opera illis diebus ſumma cum ratione permiſſa impediantur. 12. Martij 1601.

Hyeronimus Card. Mattheus.

De Sacramentis in genere. Cap. V.

QVia Sancta ſanctè tractanda ſunt, ideo in Sacramentorum adminiſtratione ſeruentur adamuſſim ritus, & rubricæ Ritualis Romani moderni ſub Paulo V. Pontif. Max. editi, quò circà miniſtri illos diligenter ediſcant, & in nihilo pænitus diſcrepent ab illius præſcripto; omnes ſuperſtitioſas cæremonias reſecando ſub pœna ſuſpenſionis.

Formam vniuſcuiuſque Sacramenti in adminiſtratione, vel collatione adhibendam de verbo ad verbum ediſcant, ex eodem Rituali.

Sciant etiam omnes, quod in poſterum ad Sacramentorum adminiſtrationem, immò ad Sacerdotis dignitatem nullatenus admittentur, qui formas, & materias, & cæteras partes ſacramentorum in promptu memoriæ non habeant, ſicut etiam in praxi occurrentes, & magis communes caſus (vt ſi contingerint, non errent) quos ſaltem ex rubricis eiuſdem Ritualis ediſcere poterunt.

Quoniam indecens eſt fideles Chriſtianæ fidei rudimenta ignorare, & non mediocris hominum numerus eſt, qui cuſtodes beſtiarum cum ſint, vel aliter in nemoribus, ac ſiluis optimam anni partem commorentur; ferè ignorant an Chriſtiani ſint; ſiquidem ex operibus dignoſci nequaquam poſſunt. Eccleſias enim ſemel in anno vix adeunt, ideò prohibemus, laicos ad Sacramentorum perceptionem admitti, qui partes principales doctrinæ Chriſtianę memoria non retineant; videlicet Orationem Dominicam, &

ſalu-

Salutationem Angelicam latino ſermone; Italico verò idiomate, ſymbolum fidei, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, peccata mortalia, & ſacramenta, myſteria item Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Ieſu Chriſti Domini noſtri, quodque ipſe exiſtat in Hoſtia conſecrata, pœnas inferni, & Paradiſi prœmia, vt ſciant quæ corona, quæuè tormenta poſt mortem expectanda ſint; niſi præ ſenio, aut ingenij tarditate incapaces omninò ſint, quo caſu curent ſaltem Parochi, vt ſubſtantiam ad minus præceptorum intelligant, ſciantque; aliàs enim ſanguis eorum ex Paſtorum manibus exquiretur, cum eorum animæ non corruptibilibus auro, vel argento redemptæ ſint, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti Redemptoris.

Sacramentalibus quoque, quæ pro materijs, & vſibus ſacramentorum tantùm inſtituta ſunt, nullo prætextu etiam pietatis, vel deuotionis abutantur, aut pro medicandis infirmitatibus, tantoque magis pro ſuperſtitionibus, & maleficijs, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.

Pro receptione ſacrorum oleorum à Nobis quotannis conſecrãdorum Curati mittant aliquem Clericum, & ſi poteſt haberi in ſacris, laudabilius erit, qui ſit probatæ vitæ, & deſtinati ad hoc Clerici nullo modo renuant ſub pœna trium menſium carceris irremiſſibiliter infligenda.

Deputatus ad Olea ſacra diuidenda librum habeat, in quo manu propria illius, qui ad illa ſuſcipienda aduenerit, nomen adnotari curet, & pro quo illa ſuſcipiat; hic verò liber in noſtro Archiuio deindè reponatur.

De Sacramento Baptiſmi. Cap. VI.

CVm Baptiſmus ſit Ianua omnium Sacramentorum, & abſolutè neceſſarius ad ſalutem iuxtà illa Chriſti verba, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei, ideo natum infantem ij, quorum eſt cura, quamprimum ad ſuſcipiendum baptiſmum à proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote de eius licentia, ſi legitimè impeditus fuerit, in Eccleſia deferendum curent, nec vltra triduum differatur huiuſmo-

modi ſacramenti collatio; quia multa pericula extare poſſunt tenellæ adhuc ætatulæ infantis; tum quia profectò eſt res indigna, vt reſpectu aliquo humano in lõgius producatur, ac puer paruus moram patiatur in adipiſcenda æterna adoptione filiorum Dei.

Ad officium Patrini nõ admittantur Regulares ad euitandam familiaritatis occaſionem, nec ignorantes rudimenta fidei, vt ſupra expoſuimus, neque excommunicati, vel ij, qui eo anno in Paſchate peccata ſua confeſſi non fuerint, & Sacram Euchariſtiam non ſumpſerint, aut quicumque infames, & publicè criminoſi, nec ſint plures, quam à Sacro Conc. Trid. ſtatutum eſt, ſed vnus tantùm ſiuè vir, ſiuè mulier, vel ad ſummum vnus, & vna, qui ea, qua decet modeſtia tale munus obeant, videlicet mulier velata, vir aperto capite, armiſque depoſitis, & vtriq; ideſt mulier, & vir vna cum puero baptizando ſine faſtu indumentorum, ac Sathanæ pompis accedant; præterea Parochus declaret poſtquã baptizauit infantem, contractam eſſe cognationem ſpiritualem inter ipſos, & baptizatum, & matrem, & patrem ipſius, ipſumq; puerum; poſtquam fuerit in ætate adulta curent fidei rudimentis, & Chriſtianis moribus inſtrui.

Moneantur, vt ſub pœna excommunicationis abſtineant ſe ab omnibus ſuperſtitioſis obſeruationibus cum infantem deferunt ad baptiſmum, nec ſuper illos imponant, dum baptizantur, res quaſdam, quibus poſtea in maleficijs abutuntur, & vt obſtetrices dicunt pro remedijs. Inſuper caueant in poſterum Parochi, nè ſal benedictum reſtituant, & tradãt laicis, ſed in vaſe deſtinato retineant, vel in ſacrarium proijciant. Curent etiam baptizandis Sanctorum nomina imponi, non fabuloſa, aut ethnicorum. Cautio item ſit Parochis, ne infans alio, quàm eo ipſo anno conſecrato chriſmate vngatur.

Præcipimus pariter, vt baptiſmalis fons ſit lapideus, mundus, eiuſq; claues à proprio Parocho cuſtodiantur, ac ſacrario coniunctus, ſi commodè fieri poteſt, vt in ipſum aqua, quæ ſuper baptizati caput infunditur influat, nec ad eumdem baptiſmi fontem reincidere permittatur in opertorio ligneo, quod benè clauſum eſſe volumus, ſacra olea in vaſis argenteis, ſi fieri poteſt, vel ad minus ſtamneis aſſeruentur cum vaſculo prò baptizandis, & cum linteo mundo, ac linteolo ad detergendum, ac cum libro, in

quo

quo diem, menſem, & annum baptizati nomen, eiuſque Patris, ac matris, ac Compatrui, & etiam cognomina formula præſcripta in Rituali, & non alia niſi Curati manu deſcribantur.

Præterea non nulla ſunt animaduertenda ad obſtetrices inſtruendas, ad hoc vt etiam in caſibus magis periculoſis in promptu habeant ad notandum primò formam prò his mulierculis, & rudibus hominibus proferendam eſſe vulgari ſermone his verbis. *Io ti battezzo in nome del Padre, del Figliolo, et dello Spirito Santo*. Secundò materiam hiſce caſibus ſufficientem eſſe aquam naturalem, licet deſint ſal, & olea ſacra, admonendique ſunt præcipuè quod eodem tempore verba proferant, & aquam effundāt, Accedit,.n. Auguſtinus ait, verbum ad elementum, & fit ſacramētum, & taliter effundant, vt carnem, ſiue cutim capitis lauent, intentionemque habeant faciendi quod intendit Eccleſia Catholica.

Sciantque in hoc actu, in baptiſmo ſcilicet domi celebrato contrahi cognationem ſpiritualem inter perſonas in Conc. Trid. expreſſas cap. 2. ſeſſ. 24. non autem in ſequentibus cæremonijs poſteà in Eccleſia adhibendis, ità declarauit Sac. Cong. Conc. die 13. Nouembris 1649.

Tertiò animaduertāt obſtetrices id paſſim eis facere non licere, niſi probabile periculum ſit mortis infantuli, & quando de facili perſona Eccleſiaſtica, vel vir aliquis ipſis peritior ad hoc haberi non poſſit, niſi cauſa honeſtatis ob partum non adhuc editum ſint viris præferendæ mulieres.

Quartò ſi neceſſitas vrgeat non morentur ſuper interogatione nominis imponendi, ſeu Patrini à parentibus deputandi, ſed relictis hiſce ſolemnitatibus baptizent.

Quintò cum dubium ſit an infans viuat, vel non, baptizetur ſub conditione, & non aliàs, quæ conditio ſufficit ſi ſit in mente baptizantis abſq; eo quod verbis exprimatur, idemque ſeruandum, ſi abortiuus ſit infans, & ignoretur an viuat, vel non, neque neceſſariò inquirendum an ſit mas, vel fæmina.

Sextò cum Infantuli pars aliqua, ſiue membrum aliquod materno egreditur ab vtero poteſt, & debet baptizari aqua naturali, pars illa edita eſt tangenda, ità vt effluat aqua, ſed ſi poſteà totum corpus egrediatur, vel tantùm caput (manente eodem periculo) ba-

baptizandus eſt ſub conditione, cum adhuc dubium ſit inter Doctores, an baptiſmus collatus non in capite ſit validus; ſi verò in capite erat collatus, non reiterabitur.

Hæc omnia inter Miſſarum ſolemnia materno Idiomate, dum Doctrina Chriſtiana explicatur, Populo inculcentur, cum tale munus in neceſſitate omnibus commune ſit.

De Sacramento Confirmationis. Cap. VII.

SIcut per baptiſmum homo regeneratur ad nouã vitam, & Chriſto Ieſu incipit militare, ita per Sacrum Chriſma rob oratur, & fortiſſimis cingitur armis, quibus intrepidè iniquiſſimi hoſtis tela queat repellere, pugnæque lauream reportare, hinc facilè conuincitur, à nullo per negligentiam præteriri debere. Nam ſi non adeò neceſſarium ſit, ac baptiſmus; nequit tamen in prouecta ætate ſine graui animæ diſpendio prætermitti.

Præterea ad hoc Sacramentum ritè ſuſcipiendum, cuius dignitas ex eo dignoſcitur, quod nullus alius niſi ſolus Epiſcopus ordinarius eſt miniſter, nonnulla ſunt aduertenda.

Primò ante annum ſextum ætatis non deferantur pueri ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum, & niſi inſtructi ſint in fidei rudimentis.

Secundò vnum in locis anguſtis, & duos ad plus in alijs leuare poſſint Patrini, monendique ſunt parentes, nè proprios ſuſcipiant filios.

Tertiò ipſi Patrini fidei rudimenta callere debeant, vt ſi opus erit ſuſceptos docere poſſint, necnon, & confirmati ijdem ſint.

Quartò pridie quam à Nobis tale conferatur ſacramentum, vel in feſto antecedenti Parochi omnia hæc, & alia neceſſaria Populo aperiant, declarentque.

Quintò cognatio ſpiritualis, quæ in hoc ſacramento contrahitur poſt Sacrum Conc. Trid. vltra ſuſcipientem, & ſuſceptum, eiuſq; Patrem, & Matrem non axtenditur.

Sextò Sacrorum Canonum Conſtitutionibus Regulares omninò à ſuſcipiendo paruulos ab hoc Sacramento repelluntur, publicè etiam criminoſi, alijque, vt diximus in Sacramento Baptiſmatis;

Septimò adulti, & Puberes antequam ad confirmationem accedāt, per morales, accurataſque diligentias certi ſint illam non recepiſſe, & Curatus hoc antea inueſtiget, & præcognoſcat. Ijque Sacramento pœnitentiæ pæccatis ſint expiati, vel actum eliciant contritionis ad minus.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. *Cap. VIII.*

ET quia Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inter alia præcipuum eſt, cum realiter in eo exiſtat verum Chriſti corpus, æquum eſt, & rationi maximè conſentaneum, vt ſingulari quadam grauitate, & reuerentia à Sacerdotibus adminiſtretur, atq; à plebe ſupplici deuotione ſumatur. Ideo præcipimus ne ad Sacram Communionem tempore Paſchali admittatur qui proprio Parocho peccata non fuerit confeſſus, vel alteri à Nobis approbato de eiuſdem tamen Parochi ſcientia. Rectores verò teſſerā, ſiuè ſchedulam de confeſſione audita, & abſolutione impartita nullatenus admittant in actu communicandi, vel poſt cæptam Miſſam, niſi pridiè ante communionem, vel manè ante Miſſam illas præſentauerint, & hoc ſub pœna ſuſpenſionis; ſchedula autem prędicta ſubſcripta ſit propria Confeſſarij manu, & Conuentus ſigillo munita, ſi Regularis ſit, aliàs fidem non faciat.

Ab hoc Sacramento ſuſcipiendo arceantur publici peccatores, excommunicati, concubinarij, blaſphemi, in odio indurati cum ſcandalo, coniuges ſine cauſa cohabitare nolentes, & alij publici, & pertinaces peccatores cuiuſcumque præeminenriæ ſint. Non enim parua R.R. Rectores vobis imminet vltio, vt verbis vtamur Chryſoſtomi, ſi quem cuiuſpiam conſcium nequitiæ huius menſæ participem eſſe concedatis, ſanguis eius de manibus veſtris exquiretur, ſiue quis Dux militiæ ſit, ſiue Præfectus, ſiue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo poteſtatem habes.

Præterea hortamur, ne quis ſtatim à prima confeſſione in annum dilata communicet, ſed expectet aliquandiù arbitrio Confeſſarij, & poſtea denuò confeſſus, ea, quæ in memoriam redierint, &

in.

intereà peccauit mundiùs ad hanc puriſſimam, ſanctiſſimamque menſam accedat. Suademus etiam hominibus matrimonio iunctis (ſed per modum conſilij) vt ad dominicam menſam acceſſuri tribus ſaltem diebus ab ipſo matrimonij officio prius deſiſtant Ozę exemplum proponendo, qui poſt actum matrimonij Arcam Dei, quæ huius Sacramenti figura fuit,contingere præſumens grauiſſimè iræ diuinæ retulit vltionem, & de hoc illos Parochi moneant, qui curent etiam conferre hoc Sacramentum viris ſeparatis à mulieribus ſaltem per ſcamnorum interpoſitionē, aut horis diuerſis, nè vafer ille humani generis hoſtis tam eximium ſacræ actionis meritum minuat, laſciuias, & inhoneſtas cogitationes eorum mentibus ſuggerendo.

Curati inter Miſſarum ſolemnia ſæpè Populum moneāt, vt venerabili hoc Sacramento frequenter veſci, ac recreari curent, & pręſertim in præcipuis ſolemnitatibus, ne in tanta affluentia fame moriantur, quod noſtris temporibus multis in locis eſt maximè dolendum, cum panis quotidianus factus ſit annuus. Moneant etiam omnes mulieres grauidas, & appropinquantes diebus proximis antè partum propter inſtans mortis periculum, vt hoc venerabile Sacramentum in Eccleſia deuotiſſimè ſuſcipiant.

Curentque Parochi octauo quoque die particulas in pyxide reſiduas aſſumere, & alias rurſus conſecrare, quæ ſint recentes, nec ante octo dies confectæ, & quia cognouimus, quorumdam Parochorum deſidia, pueros permultos, in adulta iam ætate conſtitutos, non adhuc inſtructos fuiſſe pro Sanctiſſima Euchariſtia ſuſcipienda; prætereunt enim illas plagis peccatorum affectos, neque olei, & vini ſacri, videlicet corporis Chriſti, Samaritani exemplo, remedium adhibere curant, & ſemiuiuos relinquunt. Enitantur igitur in poſterum, cum ad ætatem decem annorum peruenerint, ſi prudentia ætatem comitetur,illos inſtruere, & de excellentia tanti Sacramenti capaces reddere ſub pœna ducatorum ſex, hocque officium præſtare incipiant potiſſimùm à Dominica Septuageſimæ, vt tempore Paſchali iam inſtructi reperiantur.

Omnes qui doli capaces ſunt, teneantur quolibet anno in Paſchate Reſurrectionis Domini peccata ſua proprio Parocho, vel alteri de ipſius licentia confiteri, & in Parochiali Eccleſia ſacram Cō-

munionem ſumere ſub pœnis contentis in Conſt. Innocentij III. in Concilio Generali, & ideo Curati poſt octauam Paſchæ ante feſtum Pentecoſtes eorum nomina ad Nos deferant, qui ſalutis ſuæ immemores S.M.E. præcepto parere contempſerint,& ſeuerè punientur in quolibet caſu inobſeruantiæ, & interim Curatus ſæpè prædictos moneat; Qui verò per duos annos ſacra Communione,tempore vt ſuprà ſtatuto,refici non curauerint,licèt poſteà præceptum adimpleuerint, ſciant, quod ſi denuò negligant dictum præceptum ſeruare, contra illos pœnam excommunicationis ex nunc imponimus, quod Epiſcopis licere cenſuit Sac. Cong.Concil.Trid.reſcribens Epiſcopo Panormitano. Et quia ſunt aliqui,qui malitiosè, & ex induſtria eo tempore à propria parochia recedentes ad alienas partes ſe conferunt, vt faciem proprij Curati effugiant; Volumus quod iſti non cenſeantur ſatisfacere pręcepto Eccleſiæ, etiam ſi fidem alterius Curati reportauerint, ſed teneantur quandocumque redierint, infra menſem ad ſummum, proprio Parocho ſe preſentare, & adimplere præceptum Eccleſiæ ſub eiſdem pœnis, nec iſti abſoluantur ab interdicto, vel ab excommunicatione reſpectiue, vt ſupra,niſi impoſita publica pœnitentia ad exemplum aliorum; & vt ipſi caueant in futurum ab huiuſmodi inobedientia, & hoc decretum in qualibet prima,& quinta Dominica Quadrageſimæ à Curatis inter Miſſarum ſolemnia publicetur ſub pœna noſtri arbitrij.

Delationes proceſſionales Sanctiſſimi Sacramenti ſemper fiant ab Archipresbytero, ſiue Curato iuxta decretum Sac. Cong. Rituum die 18. Maij 1602. à Quaranta in ſumma relatum, & conſuetudines contrariæ nobis referantur.

Orationes quadraginta horarum cum expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti poſt ſolis occaſum dimittantur omninò,nec vllo pacto, cauſauè prorogentur, vt ad maiorem Dei cultum inducta contrarium non operentur effectum, ſub pœna Rectoribus id permittentibus ducatorum decem pijs locis &c. Quæ expoſitio non fiat niſi de Noſtra licentia, quæ concedetur pro cauſa rationabili, & graui tantùm: ita enim cenſuit Sac.Cong. in vna Groſſaten die 4. Iunij 1644. & in vna Aſculan. 3. Aprilis 1632.& in Neapolitan. 7. Auguſti 1630. & aliàs ſæpè, & cum permiſſa fuerit, ad minus duodecim faces ardeant, & adſint ſaltem ſex Fideles

iuxta

iuxta reſcriptum Sac. Cong. Epiſcopo Camerineñ 28. Octobris 1594. vbi verò commodè fieri poterit, duo Sacerdotes, vel Clerici ante Sanctiſſimum genuflexi orent, Clerici ſuperpelliceo, Sacerdotes verò etiam ſtola ornati.

Abolemus praxim illam prohibitam à fel. mem. Pij V. & Rituali Romano oſtendendi Euchariſtiæ Sacramentum infirmis communicare non valentibus, ſed eo caſu impedimento comperto, Curatus abſque alia cæremonia ad Eccleſiam cum Sacramento reuertatur, nam Sac. Cong. Concil. reſcripſit Panormit. 19. Nouembris 1571. abuſum deferendi ad ægrotos impeditos ſumere ſacroſanctam Euchariſtiam, illamque oſculantes prorſus tollendum eſſe.

De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. VIII.

Pœnitentiæ Sacramentum cum ſit humanæ fragilitatis præſtantiſſimum remedium, ac ſecunda poſt peccati naufragium tabula, atque contra continuas rugientis leonis inſidias, perpetuamque cum Principe tenebrarum colluctationem, validiſſimum ſubſidium, ideò omnibus viribus enitendum eſt, vt ritè ab omnibus tractetur, ac ſuſcipiatur, quo maior inde animarum fructus habeatur. Ad illud igitur adminiſtrandum accedat nemo, niſi tanto muneri fuerit à Nobis idoneus iudicatus, ſiue Secularis, ſiue Regularis ille ſit, etiam Eccleſiarum, & locorum exemptorum, dummodò ſint intrà fines noſtræ Diœceſis, iuxtà Conſtit. Greg. XV. de exemptorum priuilegijs, nec non declarationem Sacr. Cong. ſub pœnis in ea contentis.

Quibus per nos hac ratione licuerit, illud meminerint in eiuſdem adminiſtratione ſeruandum, quod nouiſſimè in nouo Rituali à fel. record. Paulo V. præcipitur, vt nimirùm ad audiendas confeſſiones non accedant, niſi ſuperpelliceo, & ſtola induti, id enim cenſuit Sac. Cong. Epiſcop. in Albiganen. 8. Nouembris 1588. Sedes autem, ſiue confeſſionalia ſemper ſint in loco aperto collocata, nec extra ea mulieres audiantur, niſi infirmæ in lecto iacentes, quo tempore fores cubiculi apertæ permaneant, vt Confeſſarius, & infirma ab alijs videantur. Non autem antè ſolis ortũ,

nec poſt occaſum adminiſtretur, nec extra Eccleſiam, niſi neceſſitas, aut perſonarum ratio, aliaque rationabilis cauſa aliud ſuadeat, ſub pœna ſuſpenſionis; aduertantq; vt alij remoti ſint, nè confitentes aliquo modo intelligant. Præterea confeſſiones mulierum non audiant, niſi ad cratem lamineam; nullo tamen modo ante ſe genuflexas, quibus non faciem, ſed aurem vertant, ita Sac. Cong. Epiſc. in Paduañ 2. Iunij 1620. Sacrum præterea ſigillum ita cuſtodire ſtudeant, vt nè vel minimo quidem ſigno, nutuque illud violare contingat, memores grauiſſimè huiuſmodi crimen à ſacris Canonibus mulctari; vti etiam nefarium illud ſcelus ſollicitantium in confeſſione, quos ambos declaramus ipſo facto excommunicatos, & perpetuò ſuſpenſos ab officio vltra alias pœnas arbitrio Noſtro reſeruatas, & à Summis Pontificibus ſtatutas.

Præterea Confeſſarij à pœnitentibus nihil confeſſionis cauſa exigant eo tempore, ne potius pæcuniæ lucro, quàm animarum ſaluti ſtudere videantur, ac à pecuniarijs pœnitentijs, quoad fieri poteſt, abſtineant; vbi verò pro perſonarum, & criminum ratione tales pœnitentiæ erunt imponendæ, eas ſibi, vel eorum Eccleſijs nullo modo attribuant, Miſſaſque item ſi quas pœnitentibus imponent, ad alios Sacerdotes, vt omni careant auaritiæ ſuſpicione, celebrandas remittãt, nec ipſi tales eleemoſynas recipiant ſub pœna arbitrij &c. Cũ verò reſtitutio facienda erit, Cõfeſſarij id onus in ſe ipſos non ſuſcipiant, niſi propalationis periculum aliud ſuadeat, quo caſu apocam ab eo, cui fit reſtitutio, pœnitenti illicò conſignandam recipiant.

Et quia contritio ſaltem imperfecta adeò neceſſaria eſt in Sacramẽto pœnitentiæ, vt abſque illa Sacramenti gratia non recipiatur, ſpectatq; ad huius Sacramenti miniſtrum pœnitentis diſpoſitionem, quod ſit ſufficiens, palpare, ne clauis erret; & iudicium non rectè cadat. Mandamus ſingulis Confeſſarijs, & hortamur in Domino, vt pœnitentes diſponant ad actus contrictionis, quæ continet diſplicentiam ſuarum præteritarum culparum ob bonitatem infinitam Dei offenſi, & propoſitum firmum abſtinendi in futurum. & præcipuè perſonas ruſticas, ac de quibus timeri poteſt quod imparati abſque vllo dolore, & præcogitatione ad Sacramentum accedant. Proponat illis inſuper Sacerdos in ge-

genere fœditatem peccati, Dei bonitatem, damnationis periculum, & pœnarum æternitatem, adeout dulciter trahatur pœnitens ad eliciendum generale propoſitum non peccandi, ideoq; volumus, ne Confeſſarij approbentur per examinatores Synodales, ac per noſtrum Vicarium Generalem ni prius exactiſſimè de vita, moribus, & doctrina examinentur, & approbentur, ne vel cæco cæcum ducente, ambo in foueam cadant, ſi ſcentia deſit, nevè mundanda lepra gliſcat potius, ſi is, qui purgaturus aduenerit, contagio ſit obnoxius deteriori. Et ſi exponendi ſunt confeſſionibus mulierum, tunc præſertim aduertant, vt ſint ætate maturiores, cæteriſq; præpolleant requiſitis.

Mandamus omnibus, quod in præcepto confitendi, ſeruent diſpoſitionem cap. communis vtriuſque ſexus, & ſaltem ſemel in anno proprio Paſtori peccata aperiant, quod ſi alteri confiteri malint, à Nobis tamen approbato, hoc faciant de licentia petita licèt non obtenta Parochi, qui huiuſmodi homines adnotet in libello, & ſimul deſcribat confeſſarium, quem elegerint, & ſi ab illo deinde ſchedulam reportent nobiſque in viſitatione librum exhibeãt; vt appareant, quo animo proprium tali tempore fugiant Parochum.

Regulares animaduertant, quod quorumcumque priuilegiorum prætextu, ſiue Confraternitatum, ſiuè Corrigiarum Sanctæ Monicæ ex decreto Sac. Cong. nequeunt pœnitentes à caſibus, vel cenſuris nobis reſeruatis abſoluere, eoq; minus à reſeruatis Sanctæ Sedi Apoſtolicæ.

Alienos, & non proprios ſubditos etiam ſi à Nobis facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis obtineant, non abſoluant à caſibus eorum Ordinario reſeruatis, ſi ijdem non ſunt ac noſtri, quod ſi cognoſcant fraude maloque animo, vt iudicium proprij Paſtoris effugiant ad ſe acceſſiſſe, neque abſoluent à reſeruatis ſuo Epiſcopo, licèt inter Nobis reſeruatos non ſint.

Vnuſquiſque Confeſſarius in ſede confeſſionali cartulam affixam habeat caſuum Nobis reſeruatorum, & cenſurarum, & Bullam Cœnæ Domini, nec non pænes ſe conſtitutionem Greg. XV. fel. record. de ſollicitantibus in confeſſione ſub pœna contrauenientibus librarum ſex ceræ albæ, quam inuiolabiliter exequi mandabimus, & ſi ſedes confeſſionalis communis erit pluribus Sacer-

cer-

cerdotibus, vt vnuſquiſque ſingillatim ad pœnam teneatur, ne alius ſuper alium ſe exoneret.

Parochi omnes, Confeſſarij, & alij Sacramenta miniſtrantes præter Rituale nouiſſimum ſibi emant libellum de officio Curati Bernardini Poſſeuini, necnõ Summam Toleti infra duos menſes ſub pœna librarum ceræ decem, & in viſitatione illos Nobis oſtendant.

Mandamus inſuper quod in vigilijs, & feſtis primæ claſſis manè, & à prandio in ſede confeſſionali per duas horas ad minus permaneant, licet nemo adſit, qui confiteri velit, & hoc ſub pœna viginti librarum ceræ pro qualibet vice, cum in hac noſtra generali viſitatione multorum querelæ delatæ ad Nos fuerint contra Confeſſarios non aſſiſtentes.

Confeſſarij verò à Nobis in viſitatione approbati ſub pœna excõmunicationis maioris, & alijs arbitrio &c. neceſſariò hoc onus ſubire teneantur, nec aliquam exemptionem præter quam à Nobis tantùm, & cauſa cognita, non autem à Noſtris Vicarijs quacumque facultate ſuffultis, dum in Diœceſi reſidemus, abſtinere valeant.

A Feria quarta Cinerum per totam octauam Paſchatis Reſurrectionis concedimus Parochis tantùm facultatem abſoluendi à caſibus Nobis reſeruatis præter quam ab illis, qui cenſuras habent annexas, reuocantes idcircò facultates abſoluendi à caſibus prædictis hucuſq; à Nobis, vel noſtro nomine conceſſas.

Valde indecorum eſt Sacerdotes iam pro Miſſa celebranda paratos, veſtibuſque ſacris indutos, aliorum audire confeſſiones, vel alteri ſua peccata confiteri; mandamus proindè ſub pœna decem librarum ceræ, quod in futurum abſtineant, & Rectoribus, quod ſub pœna duppli decretum hoc ſeruari curent.

Omnibus, & ſingulis medicis ditioni Noſtræ ſubiectis ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, perpetuæ infamiæ, priuationis gradus Doctoratus, & alijs pœnis contentis in Conſtitutione fel. record. Innocentij III. & Pij V. Romanorum Pontificum præcipimus, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, eos antè omnia inducant ad confitendum propria peccata, nec poſt tres dies, ſi id infirmi non præſtiterint, ad eos reuertantur, niſi longius tempus infirmo Cõfeſſarius ob aliquam rationabilẽ cauſam, ſu-

ſuper quo eius conſcientiam oneramus, conceſſerit, & ideo quàm ſæpiſſimè Parochi medicos de hoc moneant, & Medici etiam ipſos Parochos certiores faciant, vt & ipſi infirmos adire, & neceſſaria Sacramenta opportunè eis miniſtrare valeant, & Regulares, qui confeſſiones infirmorũ audierint, ſtatim etiã Parochum admoneri teneantur, & fidem auditæ confeſſionis medico ſuperuenienti relinquere. Sac.Cong. 2. Iulij 1587. vt habetur in ſumma Bullarij in verbo Priuilegia Regularium.

Ad hoc, vt Confeſſarij ſuæ auctoritatis limites agnoſcant, & à quibus caſibus abſque noſtra licentia abſoluere non poſſint, eos hic apponi curauimus.

Caſus Reſeruati, quibus annexa eſt Cenſura.

1 BLaſphemia publica hæreticalis in Deum, Beatam Virginem, vel Sanctos.

2 Sortilegium, Maleficium, Incantatio, Diuinatio, ac abuſus Sacramentum, & Sacramentalium cum tacita, vel expreſſa Dœmonis inuocatione.

3 Iuramentum falſum in Iudicio, & ad id auxilium, conſilium, & mandatum dantes.

4 Falſificatio, Vitiatio publicarum, vel priuatarum ſcripturarum in alterius damnum, earum vſus, Conſilium, & Mandatum.

5 Impedimentum quomodocumque præſtitum, ne teſtamenta, vel legata ad pias cauſas fiant.

6 Procuratio abortus poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

7 Publica Pollutio Sanctarum Eccleſiarum.

Caſus Reſeruati, quibus non eſt annexa Cenſura.

1 HOmicidium voluntarium.

2 Sodomia, & peccatum beſtialitatis.

3 Inceſtus vſque ad ſecundum gradum conſanguinitatis, & affini-

tatis incluſiuè, & raptus mulierum, & ſtuprum Virginis per vim.

4 Vſura, & Concubinatus publicus.

5 Vſus Clauium adulterinarum, & præcipuè Inſtrumenti vulgò dicti *Voltaianni*.

6 Parentum percuſſio.

7 Interceptio alienarum litterarum.

8 Detentio Infantium in lecto ante elapſum annum ſine aliqua cautela, & repagulo.

Impuberibus, & mulieribus quoad carnalia nulla eſt reſeruatio.

Ne errent Confeſſarij cum illis conceſſa fuerit facultas abſoluendi à caſibus reſeruatis, ſciant, non intelligi eam conceſſam fuiſſe illis, quoad cenſuras, & ſi fuerit quoad eas conceſſa, non intelligi conceſſam ad votorum commutationem, & diſpenſationem, ſeu iuramentorum relaxationem, & caſu, quo fuerit conceſſa ad omnia prædicta, nullo modo intelligitur data facultas diſpenſandi ſuper irregularitate, & abſoluendi à ſuſpenſionibus, quam abſolutionem Nobis, & Noſtro Vicario Generali perpetuò reſeruamus. Hæc enim omnia ſunt à iure Epiſcopis reſeruata.

Quo ad ſollicitantes verò filios, ſiue filias ſpirituales in confeſſione ſeruetur Bulla Gregorij XV. eiuſque declarationes.

Animaduertant autem Confeſſarij quòd ſcienter abſoluentes aliquem à caſibus, vel cenſuris Nobis reſeruatis abſque noſtra facultate, vel licentia etiam quorumuis priuilegiorum indulti, vel conceſſionis prætextu ipſo iure ſuſpenſi ſunt, prout nunc pro tunc ſuſpendimus ab exercitio Sacramenti Pœnitentiæ.

De Sacramento extremæ Vnctionis.

Cap. IX.

CVM conſtet hoc Sacramentum extremæ vnctionis à Domino inſtitutum, tamquam firmiſſimum præſidium aduerſus humani generis hoſtem, qui ſemper, & præcipuè extremo vitæ noſtræ tempore maximè inſidiatur. Curabit Parochus cum ad vngendum vocabitur, illud ſanctè, & rectè adminiſtrare, & ægrorum diſponere, vt ea, qua decet fide, & pietate ſacram illam vnctio-

ctionem ſuſcipiat, cum per illam diuina conferatur gratia, peccatorum reliquiæ deleantur, ad diuinæ miſericordiæ fiduciam erigatur animus, & aduerſus Diaboli inſidias ad ſupremam luctam armatur, & roboratur, quare opportuniùs videtur conferendum, (licet infirmi ſit deſperata ſalus) quando ſenſibus integris mens, & ratio vigent. Præterea ſicut in cæteris, ſic in hoc Sacramento omninò morem illud corrigendum putamus, quo pro ſacramenti adminiſtratione aliquod præſtatur, ſiue poſtulatur, etiam ſi ſpontè datur, vel aliter conferatur.

Sacra Vnctio non adhibeatur impœnitentibus, & publicis peccatoribus, vel excommunicatis; niſi prius euidentiſſima pœnitentiæ ſigna palam oſtenderint, nec etiam non confeſſis in Paſchate, neque ijs, qui ſano, & firmo corpore ſunt, & ideo non miniſtretur nauigationem, aut peregrinationem etiam periculoſam ſuſcipientibus, vel prælium, in quo certa mors impendeat, ineuntibus, & capite damnatis ad vltimum ſupplicium rapiendis, mulieribus in partu laborantibus, nec pueris, qui nulla peccata commiſerint, nec denique amentibus, & furioſis, qui ab ipſa natiuitate numquam mentis, & rationis compotes fuerunt; Debet tamen conferri vulneratis in mortis periculo conſtitutis.

Sacri olei vaſculum decenti, ac tuto in loco Eccleſiæ aſſeruetur, ac claue, quæ nulli tradatur, diligenter à Parocho cuſtodiatur, & cum defertur ad infirmos vaſculum Sacri Olei non manu geſtet, ſed ſerica crumenula decenter incluſum, colloque ſerica item cordula aptè appenſum deuotè deferatur.

De Sacramento Ordinis. Cap. X.

QVanta ſit huius Sacramenti dignitas, quoue in pretio ab omnibus haberi debeat ex Sacræ Scripturæ lectione facilè intelligi poteſt. Quippequod inter omnia Sacramenta nouę legis ſemper eius dignitas, & excellentia plurimi habita fuit; cum per illud non humana; ſed diuina poteſtas conferatur, fiatq; homo in terra velut internuncius Altiſſimi Dei, cui Sacramento additur vtilitas, & neceſſitas, cum ex ipſo velut è fonte omnes gradus, & officia ad cultum diuinum ſpectantia deriuentur, ac

dependeant, & ſine eius auxilio non poteſt aliquod Sacramentum miniſtrari, ſaltem debitis ritibus, approbatiſque à Sancta Eccleſia cæremonijs. Quamobrem omnes Clericos cuiuſuis dignitatis, & præeminentiæ magnoperè in viſceribus Ieſu Chriſti monemus, vt ab operibus ſordidis, & mecanicis,& minimè congruentibus ſe abſtineant, ſtudeantque omnes ſuas actiones exteriores, & interiores pietatis, & grauitatis ornamentis decorare. Et quoniam prima Tonſura eſt Ianua, per quam intrant, qui Eccleſiarum gubernacula ſunt ſuſcepturi, hinc eſt, vt maxima à Nobis cuſtodia ſit adhibenda, vt per illam non intrent, niſi ij, quorum indoles talis ſit, vt ſpem præbeant ſe Eccleſiaſticis miniſterijs ita incumbituros, qualiter Chriſti decet miniſtros.

Quare ad hanc recipiendam nullus admittetur antè ſeptimum ætatis annum, vel qui Confirmationis Sacramentum non ſuſceperit, vel qui fidei rudimenta ignoret, vel legere, & ſcribere neſciat, vel demum de quo probabilis coniectura ſit,eum ad euitandum ſecularis Iudicij forum fraudulenter,vel ad fugiendas táleas,collectas, & ſimilia, quibus laici grauari ſolent, hoc vitæ genus ſibi elegiſſe iuxtà ſacroſancti Concil. Trid. decretum; qui verò præuijs dictis requiſitis ad clericalem Tonſuram fuerit promotus ſtatim Parochialis Eccleſiæ ſeruitio, cui omnibus feſtis diebus inſeruire debet, mancipetur, & Parochis in earum ſeruitio omninò obediat ſub pœna quoad exiſtentes in ſacris pro qualibet vice arbitrio noſtro reſeruata, quoad alios verò priuationis priuilegij fori; ſciant etiam quoad alios ſuperiores ordines,præcipuè verò ſacros, non promouendos,niſi eos, qui Parochi teſtimonium de prædicto ſeruitio præſtito habuerint,ac omnes regulas Grammaticæ optimè calleant.

Et vt Deus Nobis lumen præbeat ad conferendos ordines ijs,quos vtiles operarios in ſua Eccleſia futuros eſſe iudicauerit, ac ipſe Dominus meſſis mittat operarios in meſſem ſuam. Præcipimus, vt Dominico illo die, qui quatuor ieiunij tempora, quibus ordinis Sacramentum miniſtraturi ſumus, proximè antecedit, Parochi à Nobis moniti, quòd ordinationes generales habebimus, non ſolùm ſolemne illud ieiunium populo denuncient; ſed etiam & ordinationes de proximo à Nobis habendas, & ideo in ſuis Eccleſijs Parochialibus litanias piè, & religioſè recitent,ac Deū

ad

ad conſequendum prædictum finem toto corde exorent.

Nullus item pro ordinibus recipiendis comẽdatitias litteras à quocumque laico, ſiue Eccleſiaſtico ad Nos deferat ſub pœna vnius menſis carceris, vel ad arbitrium noſtrum, & careat omni ſpe futuræ ordinationis.

Nec etiam quis ad ſacras ordinationes accedere præſumat, ſi in vltimo gradu ſui ordinis per annum non miniſtrauerit, vt ſeruari poſſint interſtitia à Sac. Conc. Trid. præſcripta, niſi neceſſitas Eccleſiæ, aut vtilitas aliud expoſcat iudicio noſtro ſub pœna ſuſpẽtionis, & alijs arbitratu noſtro.

Nemo item accedat, cui non adſit titulus patrimonij, vel beneficij pro Sacris ſuſcipiendis ordinibus, quod ſit reddituum, ſiue cenſuum ducatorum ad minus viginti quinq; fundatum ſuper bonis ſtabilibus fructiferis, vel annuis redditibus (non mobilibus, vel iumentis) habito reſpectu ad vile pretium rerum commeſtibiliũ, quæ in hac Diœceſi, diuino fauente numine, extat abundanter; itaut, deductis oneribus, & debitis, computatiſque annis fertilibus cum infertilibus, liberi remaneant ducati viginti quinque.

Si quis verò contrauenerit in mendacio aſſerendo, ſe titulũ habere ſufficientem, cum reuera talis non ſit; declaramus eum ipſo iure ſuſpenſum à ſuſcepti ordinis exercitio, quem ſi exercuerit etiam irregularem vltrà pœnam falſi. Contra teſtes verò deponentes falſum, & quod non cognoſcunt, verum eſſe affirmantes, & cauſam ſcientiæ reddentes non veram, excommunicationis pœnam imponimus, vel remigationis per tres annos ob falſitatem coram Nobis, ſiue in noſtra Curia commiſſam; caueant autem, ne in aſſertione dicant illa bona præſtare poſſe tales redditus, niſi ipſi certò id ſciant.

Donationes, Nobis inconſultis, & abſq; noſtra licentia, Clericis fieri prohibemus, ad euitandas fraudes quoad fieri poteſt, & aliter factas nullum firmitatis robur declaramus obtinere, nec iuramentum ſuſtineri, tamquam fraudulento contractui acceſſorium, & contra proximi caritatem.

In Eccleſijs receptitijs, vt ſunt ferè omnes noſtræ Diœceſis, tot admittantur ad titulum ipſius Eccleſiæ, quot percipere poſſant ex certis redditibus ad minus annuatim præſtationem ducatorum viginti quinque, deductis omnibus oneribus, & ſic in vnaquaq;

hac

hac præhabita conſideratione, certus præfigendus eſt numerus participantium, vt ſæpius Sac. Cong. reſcripſit Archiepiſcopo Compſanó 8. Iunij 1593. Epiſcopo Larinenſi 3. Ianuarij 1594. Bitettenſi 19. Octobris eiuſdem anni, & Caputaquenſi 20. Februarij 1601. Non neceſſariò autem in loco decedentium admittendi ſunt ad titulum Patrimonij, ſeu beneficij ordinati, ſed alij ad titulum eiuſdem Eccleſiæ.

Rectores, Archipresbyteri, Curati, & alij, ad quos onus ſpectabat fidem facere de capacitate Eccleſiarum, ne quaquam in poſterum illam facere poſſint. Volumus enim, quòd probationes de capacitate prædicta fiant coram Nobis, vel noſtro Generali Vicario per acta viſitationum, publica documenta, vel teſtes fide dignos, cum multas in hoc commiſſas fraudes fuiſſe comperiſſemus. Peccati ſcrupulo non caret ex aliquorum piorum opinione; ſi caracterem, & clauium poteſtatem, quas ex noſtrarum manuum impoſitione receperunt Sacerdotes, retineant. Mandamus igitur omnibus Diaconis, quatenus memoriæ firmiter mandent tam abſolutionis formam, quàm aliorum Sacramentorum, & Ritus, antequam ad Sacerdotium ſuſcipiendum conuenerint, aliàs repellentur. Subdiaconi verò ſciant ſaltem ordinem, ac modum recitandi diuinum officium.

Ad prædicta omnia ritè obſeruanda, monemus, vt ad Sacros ordines promouendi per menſem antè ordinationem Nos adeant, ad hoc, vt Parochus, vel alius de noſtro ordine publicè in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia deſiderium Promouendi populo annũciet, ac de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, frequentia Sacramentorum, ſeruitio præſtito Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt, & redditibus Eccleſiaſticis, vel ſecularibus à fide dignis diligenter inquirant, qui de his omnibus fideliter, obſignatis literis Nos certiores faciant; Publicatio verò fiat die Dominico, vel diebus feſtiuis de præcepto in Eccleſia Parochiali ipſius Ordinandi, quod ſi alteri Eccleſiæ inſeruiat, volumus, quod in illa etiam fiat publicatio. Ad examen verò compareant feria quarta ante ordinationem, vel quando Nos indicemus.

Monitoria, quæ pro defenſione bonorum ad fauorem Clericorum ex ſtilo noſtræ Curiæ expediri conſueuerunt, Clericis prædictis nullatenus concedantur, niſi fidem iuratam à Parocho, ſiue Ec-

Eccleſiæ Rectore deferant de ſeruitio præſtito Eccleſiæ, quibus adſcripti ſunt.

Mandamus autem Rectoribus, & Parochis prædictis, quatenus ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs etiam corporalibus veritatem in prędicta fide dicant, illos ſcilicet omnia ſeruitia præſtitiſſe, ad quæ tenentur, nec aliquo timore, vel humano reſpectu falſum affirment, aut verum taceant, diſſimulentque.

De Sacramento Matrimonij. Cap. XI.

SAcramentum Matrimonij à Deo Optimo Maximo in Paradiſo terreſtri inſtitutum, & poſtea à Chriſto Ieſu confirmatum eſſe, nemo eſt, qui ambigat. At cum nobis apertiſſimè demonſtretur indiſſolubilis illa diuinæ, humanęq; naturæ vnio, ipſiuſque Domini Noſtri Ieſu Chriſti propenſa liberalitas dilectam Eccleſiam in ſponſam aſſumentis, meritò debet ſanctè tractari, ac coli. Quia verò noſtris temporibus abſque reuerentia, & notitia huius cæleſtis myſterij tale vinculum contrahere audent; mirum non eſt ſi ſæpius videamus filios abſque paterna obedientia à Chriſtianis virtutibus degenerare, familiaſque loco pacis, & ſolatij, diſcordijs, & perturbationibus impleri, ſicut enim (Ait Apoſtolus) qui in carne ſeminat, de carne, & metet corruptionem, ita qui tantùm in contrahendo matrimonio carnem, & non ſanctitatem cogitat, fructus colliget corruptionis plenos, hoc eſt filios habebit malis moribus præditos, ac diſſolutos. Quod præuidens Sac. Conc. Trid. maxima cum diligentia ritus ſeruandos pro matrimonijs ritè celebrandis præſcripſit, quos Nos etiam eadem de cauſa hic præſcribimus, & mandamus.

Curent ergo omninò Rectores, vt antequam matrimonium contrahant ſponſi, ſua peccata confiteantur, & ſacra reficiantur Euchariſtia, vt ſacramenti gratiam, & effectum recipiant, vel ſaltem obicem tollant; ſciant etiam rudimenta fidei, vt poſſint filios religiosè educare. Præterea explorent ante denunciationes conſenſus ſponſorum, quando præſertim ſuſpicio aliqua ſubſit, quòd non liberè contrahant, aduertantque, quòd ſicut Sac. Conc. Trid. anathematis pœnam in Magiſtratus intulit, qui ſubditos, vel alios

ad

ad contrahendum coëgerint; ita Nos etiam in parentes,alioſque cuiuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, qui filios,vel alios quoſcumque quouis modo directè, vel indirectè coëgerint,quominus liberè matrimonia contrahant, eamdem inferimus. Moneant etiam filios, ne abſque parentum conſenſu, atque venia petita matrimonia ineant, non quia renitentibus, inconſultiſque parentibus, coniugij fœdus ſit inualidum, & minus firmum, ſed quia parentum obedientiæ, ac reuerentiæ præſertim in hoc actu ſatisfaciendum eſt,vt eorum benedictione, illam etiam Deus deſuper largiatur.

Sponſi cohabitantes, vel matrimonium conſumantes antè ſacerdotalem benedictionem, & priuſquam à Parocho ſeruatis ſeruandis coniungantur viginti librarum ceræ elaboratæ, & excommunicationis pœnam incurrent Sac. Cong. Epiſcoporum in Ruben. 28. Septembris 1635. & tunc contra ipſos procedetur, quando habitant, edunt, aut dormiunt ſimul, vt declarauit 24. Decembris 1635. Curati verò huius rei conſcij Nos certiores reddant infra quindecim dies ſub pœna ducatorum ſex.

Curati non permittant matrimonia contrahi inter aliquo,conſanguinitatis, vel affinitatis gradu impeditos, neque illos cohabitare, etiam ſi diſpenſationem obtinuerint à Curia Romana,niſi coram Noſtro Vicario, & Curia litteras Apoſtolicas præſentauerint, decretumque deſuper obtinuerint, quod ſi ante has ſolemnitates copulam habuerint noua indigent diſpenſatione,vt ex infraſcripto decreto.*Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum aliàs cenſuit eos, qui obtinuerint litteras diſpenſationis ſuper gradu prohibito,& eis non præſentatis, contraxerunt vel ſe carnaliter cognouerunt,noua egere diſpenſatione.* Idem confirmauit Sac.Congregatio Epiſcoporum in Aretina 19.Aprilis 1625.

Et quia matrimonij impedimenta multiplicia ſunt, iniungimus Curatis omnibus, vt illa cum eorum circumſtantijs, differentiaſque inter impedientia, & dirimentia ſcire optimè ſtudeant, ſimulque ediſcant Sacræ Congregationis declarationes, quæ ferè omnes exaratæ reperiuntur in calce tractatus Poſſeuini de officio Curati.

Eodemque vulgari idiomate cum ſuis declarationibus populo

ape-

aperiant ſaltem bis in anno, nempe in Die Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & Sancti Ioannis Baptiſtæ, vt quandò matrimoniorum denunciationes fiunt, ſciat vnuſquiſque quid ſibi incumbat reuelandum.

Contrahentes ex diuerſis Diœceſibus, vltra fidem vtriuſque Parochi de denunciationibus factis, & nullo impedimento comperto, procurent etiam approbationem de legalitate Curati ab Ordinario dictæ Diœceſis, ſi in noſtra hac Diœceſi contrahere velint, aliter nullo modo eis permittetur, quo etiam ſuppoſito, adhuc indigent licentia noſtræ Curiæ.

Volumus inſuper quòd quando poſt vltimam denunciationem trãſacti ſunt duo menſes. nec dum Sponſi contraxerunt, repetantur denuntiationes iuxta præſcriptum Ritualis Romani ad detegendum, an nouum forſan emerſerit impedimentum, quas denunciationes Parochus ipſe abſque alia noſtra licentia faciat, & ſi nihil obeſt coniũgat. Viduis nequaquam ad ſecundas nuptias tranſitus permittatur, niſi certus prioris coniugis obitus conſtet.

Imponimus excommunicationis pœnam contra reuelantes falſa impedimenta, vel aliquo modo impedientes, nè matrimonia liberè contrahantur, metu aliquo incuſſo. Contradictiones tamen matrimoniorum publicatorum in ſcriptis tantùm recipiãtur, & cũ contradicentis ſubſcriptione, vel ſi is ſcribere ignoret coram duobus teſtibus, vt reſcripſit Sac. Cong. Archiep. Cuſentino 2. Auguſti 1594.

Conſimili modo ſi pro perſonis peregrinis in hac noſtra Diœceſi contrahere volentibus teſtes, qui ſint examinandi, falſa deponent vltra excommunicationem contra falſarios, imponimus pœnam remigationis per triennium; mulieribus verò fuſtigationis. Aduenis aliunde ſecum mulierculas ducentibus, vt plurimum concubinas, & cum falſis atteſtationibus vxores eſſe confingentibus, imponimus etiam excommunicationis pœnam quoad forum cõſcientiæ, quoad forum fori imponimus pœnam trium annorum exillij, vel carceris, & concubinæ fuſtigationis, & exilij, quas etiam pœnas ad omnes concubinarios extendimus, & ad illos, qui proprio iudicio, Nobis inconſultis, ac nulla habita matrimonialis legis ratione, temerè audent à matrimoniali domicilio, vel thoro diſcedere, vel ſponſalia diſſoluere ſine cauſis per ſe notis,

vt ſunt ingreſſus religionis, ſuſceptio ordinis ſacri; & aliæ huiuſmodi.

Si Parocho aliquod denuncietur impedimentum vlterius non progrediatur, nec ad alias denunciationes, etiamſi illud ſibi videatur falſum, vel malitioſum, ſeu nullius momenti; ſed rem totam ad Nos referat; nec quicquam ſtatuat antequam quid faciendum ſit, reſponſum acceperit ſub pœna ſuſpenſionis. Ad extirpandum radicitùs abuſum illum de celebrando matrimonio in priuatis domibus Sac. Conc. Trid. decretis inhærendo mandamus omnibus, & ſingulis Rectoribus, & alijs animarum curam habentibus, alijſq; Sacerdotibus quibuſcumque, ne audeant quempiam cuiuſuis gradus, & conditionis exiſtat, matrimonio iungere alibi, quàm in Eccleſia, cum ipſa ſit locus proprius Sacramentorum.

Pœnam excommunicationis ipſo facto, & alias à Conſt. fel. record. Greg. XV. inflictas, vt ſuprà retulimus, declaramus incurrere Strigas, & maleficos, qui maleficijs ſponſas inhabiles reddunt ad coëundum, vel dementant, vel exoſos ad inuicem reddunt.

De Miſſarum Celebratione, & Cæremonijs.
Cap. XII.

VT Sanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, in quo illa Deo Patri placens hoſtia Ieſus Chriſtus in odorem ſuauitatis offertur, ea, qua decet, reuerentia peragatur, monemus Sacerdotes omnes, vt antequam ad Altare pergant in Oratorio ſe colligant orantes, mente, & cogitatione. Prætereà dum ipſi ſunt occupati in præparatione miſſæ, non colloquantur; neque loquentibus dent aures, neuè mentes, oculoſue aliò figant, vndè diſtrahi poſſint.

Quia celebrare cum veſtibus laceris, & immundis notabiliter, adeò vt ſcandalum generent, vel non amplius ad vſum deſtinatum decenter deſeruire poſſint, ſordidis corporalibus, & purificatorijs, mortalis culpa cenſetur; iniungimus omnibus Celebrantibus, vt nullatenus illis vtantur; Sacriſtis verò, vt laceras refici, immunda mundari curent ſub pœna arbitrio noſtro &c.

Celebrare cum veſtibus non benedictis eſt peccatum mortale. Animaduertant igitur miniſtri Eccleſiaſtici, ne in hanc tollabantur cul-

culpam; munus deſuper erit cuiuſque Sacriſtæ conficere in ſua Eccleſia librum Miſſarum, in quo quilibet Sacerdos propria manu adnotet Miſſam à ſe celebratam, & in quo Altari, & pro quo, ſtatim poſt celebrationem, notato etiam die, & anno, quo celebrauerit, vt ſic faciliùs dignoſci poſſit qui ſuo muneri ſatisfecerit, ſub pœna duodecim librarum ceræ albæ pro qualibet vice. In fundationibus, vel donationibus in poſterum faciendis, volumus quòd eleemoſyna non ſit minor granorum duodecim pro vnaquaque Miſſa, neque in erectionibus Cappellaniarum, & de iure patronatus minui poſſit, aliàs Bullæ obtentæ nullæ ſint, & nullius roboris, prout ex nunc pro tunc annullamus.

Sacerdos differendo ad longum tempus celebrationem Miſſarum, ad quas ex aliquo onere tenetur, peccat mortaliter ex communi Doctorum ſententia. Quamobrem animaduertant, ne onera recipiant, vel eleemoſynam manualem, niſi quamprimum proprijs ſatisfacere poſſint.

Præterea nemo audeat eleemoſynarum pro miſſis oblatarum, parte ſibi retenta, reliquam alteri tradere cum onere eiuſdem Miſſæ celebrandæ ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

Qui nuper initiati erunt non prius ad celebrandum admittantur, quàm à Magiſtro Ceremoniarum idonei reperti fuerint, nec faciant ſaltationes, & eleemoſynarum publicas exactiones; Permittimus autem, vt poſt Offertorium in infimo Altaris gradu conſiſtentes, quod ſponte offertur, recipiant, manipulum, aut ſanctas imagines oſculandas porrigendo; patenam autem, aut ſacras reliquias, vel manus numquam, nec vllo pacto per Eccleſiam quærendo eleemoſynas vagentur, nec extra illam in priuatis domibus ſacris veſtibus induantur, minuſq; ſub vmbella recipiantur ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs Noſtro arbitrio.

Quotidie, vbi ſufficiens numerus Sacerdotum in Eccleſia aderit, vel ad minus duo, ſaltem in feſtis de præcepto, & Dominicis Miſſa vna in aurora celebretur pro pauperum iter facientium, & ruſticorum commoditate, ſicut etiam Viduarum, & nobilium condignis veſtibus carentium, in qua Celebrans partes etiam eſſentiales Doctrinæ Chriſtianæ omninò explicet, & Miſſam ante ortum Solis incipiat, vt mandauit Sac. Cong. reſcribens Epiſcopo Veſtan. 18. Februarij 1592. Reliquæ verò debitis interuallis ità di-

ſtribuantur; vt nullus Sacerdos celebraturus exeat è Sacriſtia, niſi poſt eleuationem Sacramenti prioris Miſſæ; & ſic deinceps in Cathedrali, & Collegiatis, & in Parochialibus, in quibus non celebrentur Miſſæ diebus feſtis de præcepto antè Miſſam Parochialem ex decreto Sac. Cong. Epiſcopo Sarſanen. 14. Maij 1585 Vbi verò vnica Miſſa à ſolo Parocho dicitur, eam celebret pro populi commoditate; in alijs verò extrà non poteſt prohiberi ita Sac. Rit. Cong. 20. Nouembris 1628. & in Sabinen 4. Martij 1645

Præterea moneantur omnes, qui intereſſe poſſunt ſolemni Miſſæ, quòd tenentur conuenire ad illam, vt eorum Rectoris, & Paſtoris monita ſalutis audiant. Sciant etiam omnes, non excuſari ab hoc præcepto audiendi Miſſam diebus Dominicis, & feſtiuis de præcepto ſub prætextu quòd non ſit elapſum triduum à die mortis ſui conſanguinei, nec mulieres infra quadraginta dies poſt partum; niſi infirmitate impediantur, nec aliæ puellæ ſub prætextu, ne à viris videantur.

Dum Sacra in Eccleſia fiunt, & Diuina officia in Choro perſoluuntur, prohibemus omninò collocutiones, & fabulationes, tumultus, circumuerſationes, & cetera immodeſtè in Eccleſia fieri, ex præſcripto Conſt. fel. record. Pij V. quæ incipit Cum primum Apoſtolatus; ſub ijſdemque pœnis, & etiam ſub pœna caroleni vnius pro qualibet vice à tranſgreſſoribus incurrenda. Quapropter Parochi, Rectoreſque Clericum deſtinent, qui tranſgreſſores notet, & mittant Vicarijs foraneis, vt pœnam ſtatim exigant, cuius vna pars Sacriſtiæ applicetur, altera Clerico, qui adnotauerit, tertia executori.

Celebrantes laicos miniſtros non aſſumant, ſi Clericos habere poſſint, qui ſuperpelliceo omninò habeant, nec aliter indutos ad ſeruitium admittant ſub pœna vnius ducati, cæterum, qui ex Clericis deſeruire Sacerdoti detrectauerit, pœnam carceris per ſex menſes omninò luet, in quo ſtandum erit iuramento Sacerdotis, & pœna inuiolabiliter exequetur; vnde infra duos menſes, qui ſuperpelliceū non habent conficiendum ſibi curent ſub pœna trium ducatorum, & duorum menſium Carceris.

Sacri Tridentini Concil. authoritatem ſecuti præcipimus Curatis, vt ter ad minus in hebdomoda, ac diebus Dominicis, & feſtiuis, niſi iure impediantur, Miſſam celebrare non ommittant, alijs verò

rò Sacerdotibus, diebus Dominicis, & feſtiuis; ita etiam ij, qui in ſacris ſunt, bis ſaltem in menſe, alij Clerici ſemel Euchariſtiam ſumant, horumque omnium fidem quarto quoque menſe, qui Eccleſijs præſunt, exhibebunt; Sacerdotes verò ſuſpenſi, vel impediti hoc pane cœleſti frequenter reficiantur, præſertim verò feſtiuis diebus.

Ignotos, vagoſque Sacerdotes celebrare non ſinant, niſi habitum talarem, & tonſuram deferant, & niſi litteras dimiſſorias ſuorum Ordinariorum, quæ etiam recentes ſint, oſtendant, ſine quibus nec etiam in Eccleſijs Regularium celebrare præſumant Sac. Cong. Conc. in Neapolitan. 17. Auguſti 1630. & in Liman. 20. Ianuarij 1633. Præterea non permittant, eos celebrare in Eccleſijs, quæ carent ianuis, nec habent altaria decenter ornata ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis; criminoſos etiam ſancto Altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe non ſinant.

Nemini celebrare licet ante aurorã, nec poſt meridiẽ vigore priuilegiorum ante Concil. conceſſorum, ita Sac. Cong. Conc. reſpondit Fratribus Sancti Hieronymi Hiſpan. in Tolet. ſeſſ. 22. de celebratione miſſarum, neque reſpectu iterfacientium, & ruſticorum, ita cenſuit in Tholeſina 7. Nouembris 1641. neque celebrare cum pileolo vſq; ad Canonem abſque licentia Pontificis iuxta reſcriptum Sac. Cong. Rituum in Neapolitana 7. Auguſti 1628.

Dum Horæ in Choro recitantur, in maiori Altari ſacrificia non celebrentur Sac. Cong. in Oſcen. 2. Maij 1620.

De Horis Canonicis *Cap. XIII.*

NVlla re magis triumphantem Eccleſiam illam, vbi Beati æuum ducunt inter gaudia, & æternas laudes Deo dicunt, imitari poſſumus in hac militanti Eccleſia, quàm ſolemni conſuetudine, & laudibus inſtitutis à Sanctis Patribus diuinorum officiorum, quibus agnoſcere poſſimus, venerari, & amare, vt decet Sacratiſſimum illud mẽtis ſempiternæ Numen, cui obſequia debentur, & omne officiorum genus ob eminentem eius, infinitamque ſapientiam cum pari poteſtate, ac bonitate conſociatam. Quam-

obrem

obrem omnes rogamus, qui in ſortem Domini vocati ſunt, & cultui diuino addicti, vt maximam diligentiam, ſedulitatemque adhibere velint in perſoluendis diuinis laudibus, ſacriſque muneribus obeundis, quæ nos eleuare poſſunt ad contemplationem cæleſtium chariſmatũ, & diuinorum arcanorum ſempiterni Numinis. Et quia ex noſtra viſitatione cognouimus in multis Eccleſijs huius Diœceſis, conſuetudinem vigere recitandi Horas canonicas in Choro, licet Collegiatæ non ſint, neque numerus Clericorum neceſſarius ad hoc piè, deuotèque præſtandum; imò non frequenter. Ideo, vt certam regulam in poſterum inuiolabiliter obſeruandam inſtituamus; volumus in illis Eccleſijs, in quibus non eſt numerus octo Sacerdotum ad minus, Clericos non adſtringi ex præcepto ad Horas Canonicas quotidie decantandas; niſi in diebus feſtiuis, in quibus omnes illi octo, & quotquot erunt interuenire debeant; cœteris verò diebus ferialibus quatuor per hebdomodam alternatim in Choro Horas Canonicas recitent. Punctatoris verò munus Hebdomodarius exerceat, vbi peculiaris deputatus non ſit; liber autem punctationum per manus ſucceſſiuè tradatur, in quo non intereſſentes adnotentur omninò, & quolibet anno ante quam fiat fructuum Eccleſiæ, & reddituum diſtributio, liber ipſe ad Nos, vel noſtrum Vicarium Generalem deferatur. Hoc decretum ſeruent ſub pœna carcerum per ſex menſes.

Libri Chorales, nempe Graduale, Antiphonarium, Pſalterium, Martyrologium, & Directorium Chori omninò infra ſex menſes, vbi non ſunt, comparentur ſub pœna ducatorum decem.

Dum in Choro recitantur Horæ Canonicæ, nemo ex laicis recitantes perturbare præſumat, neque ijdem laici ingredi audeant Chorum, ſicut etiam, dum Miſſæ ſolemnes cantantur, niſi de licentia Superioris in Choro, qui tamen Presbyterium laicis commune facere non audeat, vt reſpondit Sac. Cong. Epiſcopo Sauonen. 17 Ianuarij 1604.

Præterea, ne Populi deuotio in triduo hebdomodæ Sanctæ perturbetur, præcipimus Curatis, & alijs dignioribus de Eccleſia, vt conſuetudinem illam pulſandi in officio tenebrarum ad repreſentandum creatarum rerum in paſſione Creatoris perturbationem cum indecoro tumultu, præſertim dum ipſa diuina officia recitantur, non permittant.

In

In virtute Sanctæ obedientiæ ſtrictè præcipimus, ne in Sacra medodia Eccleſiaſtica concinantur à Muſicis moduli theatrales, & cantilenæ, quæ ad officium non ſpectent, nec dialogi, & Poëtica carmina, ſed Antiphonæ, vel ſaltem verba Sacræ Scripturæ: ſi ſecus egerint, ſciant ſe incurrere in cenſuras, & pœnas latas in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præcipuè Alexandri VII.

De Cura, & Regimine animarum, laicorumque reformatione. Cap. XIV.

QVia incolumitas gregis à vigilantia pendet Paſtoris, ideò Parochos ſui officij admonemus, & per viſcera miſericordiæ Dei obteſtamur, vt munere ſuo fideliter fungantur, & inuigilent tamquam diſtrictè Deo rationem pro animabus ſibi cōmiſſis redditurі, & greges pecudum more viuentes in caulam Domini congregare ſatagant, imbuendo illos doctrinæ Chriſtianæ rudimentis, ſaltem ſingulis diebus Dominicis, neque officio ſuo ſatisfeciſſe credant, ſi ſigno tantùm campanæ, ictu dato, aut frigida aliqua cohortatione ad eamdem doctrinam eos inuitauerint; ſed opportunè, & importunè arguendo, & increpando iſtud officium præſtent, atque etiam ad Parochianorum domos, ſi quando expedire videbitur, oſtiatim euntes curent, vt in Eccleſiam conueniant, ibique doctrinam Chriſtianam ſtatim poſt prandium explicent, antequam in agros, & campos, vti ſolet populus, egrediatur, quibus Parochis etiam Clericos cuiuſuis ordinis, dummodò ſeruitio illius Parochiæ addicti ſint, præſto eſſe volumus, & hoc ſub pœna vnius ducati pro qualibet vice; & quia maximo indigent auxilio animæ ab hoc ſeculo diſceſſuræ, cum infirmi in agone decertantes acerrimum habeant oppugnatorem, ideò hortamur in Domino, & mandamus Curatis omnibus, ne per momentum quidem abſq; ſua vel alterius Sacerdotis aſſiſtentia, & ope illos deſerant, & præcipuè ad actum contritionis eliciendum illos ſuauiter compellant; In extremo verò vitæ momento ſignum campanæ dari mandent, vt omnes pro agonizante orent, omnibuſque pium hoc opus orandi præſtantibus quadraginta dierum indulgentiam in Dño impartimur.

Præ-

Præterea ad concubinatus pernicioſiſſimum crimen eradicandum vires omnes intendant Curati, & ſi metu, vel aliquo mundano reſpectu præſtare nequeant id, quod debent, ſaltem ad Nos deferant infra octo dies, habita ſcientia, vt opportunè prouidere poſſimus ſub pœnis arbitrio Noſtro &c. Interim omnes admoneant, huiuſmodi deteſtabile ſcelus excommunicationis pœna mulctatum, præter alias pœnas fori exterioris.

Actuariorum, ſiue Notariorum corrupta conſcientia perſæpè illos inducit ad teſtium ab ipſis examinatorum dicta non integrè deſcribenda; ſed tantùm pro parte, quæ in Fiſci fauorem facit, cumque ex huiuſmodi malitia, & mutilatione infinita propemodum damna in pauperes redundent, quorum Patres, & defenſores ſumus; Duximus idcircò admonendos à Rectoribus inter Miſſarum ſolemnia, quoties occaſio tulerit, quòd ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda non audeant dicta teſtium mutilare poſtquam iurarunt, & examen cœptum eſt, licèt contra Fiſcum, & ad fauorem reorum teſtimonium perhibeant.

Prohibeant etiam, & ſaltem in confeſſionibus ſtudeant omninò in praxim deducere, vt maſculi poſt decennium cum fœminis etiam matribus, vel ſororibus in eodem lecto non recumbant ob multa ſcandala euitanda; contrafacientes enim tam viri, quàm mulieres pœnæ excommunicationis ſubijciant.

Prætereà caueant ſibi Parochi, tranſmittere candelas benedictas in die Purificationis ad ædes Secularium, ſed iuxta laudabilem, & obſeruatam ab Eccleſia vniuerſali conſuetudinem in Tẽplo populos eas recipere teneatur ex decreto Sac. Cong. Epiſcopo Fulginaten. reſcribentis 1581.

Inſuper cum Parturientes graui mortis pæriculo ſubiaceant, conſonum Chriſtianæ pietati eſt pro illis orare, & prægnantes in nono menſe conſtitutas ad Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ſaltem Pœnitentiæ frequentandum diſcretè compellere.

Cum graue, atq; immane facinus ſit, infantes ſuffocari per imprudentiam, & incuriam eorum, qui eos ante annum quidem expletum in lecto collocant; Ideo, vt tali periculo occurratur, diſponimus, quòd quæcumq; mulier, ſiue alius infantem, anno ætatis non expleto, ſecum in lecto iacentem retinuerit ſine aliquo firmo

re-

repagulo, excommunicationis pœnam incurrat, ſi verò mors ſecuta fuerit infantis, non abſoluatur, niſi publica, eaque graui à Nobis impoſita pœnitentia, quæ ceteris exemplo ſit, & ob id Parochus ſæpè Populum moneat, ne huiuſmodi infantes ſecum in lecto vnquam retineant;idem diſponimus de illis,qui matrem, vel nutricem id facere coëgerint.

Experientia Nos docuit, eas Domos, quæ ad prohibitos ludos exercendos ſunt expoſitæ, omnis nequitiæ ſentinas eſſe; inde enim prodeunt furta, rapinæ, fraudes, blaſphemiæ,aliaq; id generis flagitia; propterea eos, qui tabernam, vel Domum ad recipiendos aleatores, & huiuſmodi perditos, ac flagitioſos homines, pluris ludos, quàm animam facientes, expoſitas tenent,ex parte omnipotentis Dei,Glorioſæ Virginis, atque totius Curiæ Triumphantis maledictionis gladio, hac noſtra Synodali Conſtitutione ferimus,quod nulli mirum videri debet; maxima enim ineſt in hac ſeueritate pietas, quoniam vbi inſana libertas generat vulnera, Sacerdotalis diſtrictio dat medelam.

De Concionatoribus. Cap. XV.

CVM prædicationis munus potiſſimas partes ad Chriſtianæ vitæ labefactatam puritatem inſtaurandam obtineat, Verbi Diuini præcones per Ieſu Chriſti Sanguinem obteſtamur, vt concas ſe exhibeant, non canales, cum homines magis oculis, quàm auribus credant, & meminerint, ſe de grauiſſimis, ac diuinis rebus agere, ac propterea ab inanibus auerſi,ad fabulas nõ conuertantur, nec adulterent verbum Dei ad ſuam, aliorumque perniciem ſe ipſos prædicantes, ſed Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum, non ſublimibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus in id vnum toto pectore incumbentes, vt vitia ex animis hominum radicitùs euellantur, & virtutes inſerantur, & inſitæ conſeruentur, quod ſi ſecus fecerint,meritò de illis conqueri Dominus poterit dicendo, Paruuli petierunt panem,& non erat,qui frangeret eis.

Annullamus quaſcumque pactiones, & ſcripturas initas abſq; Sanctæ Sedis Apoſtolicæ approbatione inter Vniuerſitates,& Con-

uentus Regularium, vel Religiones, per quas ex vna tantummodo tali, vel tali Religione Concionatores ſibi aſciſcere debent, cum liberum ſit Nobis ex quocumque ordine, vel ex Clericis ſecularibus concionatores eligere.

Mandamus prætereа Concionatoribus quòd in vna ſaltem concione aptiori, & frequenti Populo vim eccleſiaſticarum cenſurarũ aperiant, vt intelligant Populi quanti ponderis ſint, etiam reſpectu bonorum temporalium, exemplisq; & rationibus exagerent, & ad illas timendas diſponant.

Cum ex noſtra viſitatione cognouerimus Concionatorum eleemoſynas tam tenues eſſe, vt vix neceſſarijs expenſis, & pro acceſſu, & receſſu ſufficiant, & abſque aliqua ſpe humani, & laudabilis emolumenti quandoque non inueniuntur, qui hoc onus ſubeant, vel non æquè docti, & idonei; vt igitur animarum ſaluti conſulamus, & ſimul viam Nobis aperiamus, viros aptiores, vel non ita rudes nanciſcendi pro concionibus, mandamus Syndicis, & Deputatis Vniuerſitatum, & vnicuique, ad quem ſpectat, quatenus ſub pœna excommunicationis Concionatoribus conſuetam elargiantur eleemoſynam, quæ ante triennium elargiri conſueuerant, cum laudabiles conſuetudines non ſint in aliorum detrimentum abrogandæ, neq; poſſint Vniuerſitates huiuſmodi eleemoſynas diminuere, vt Sac. Cong. reſcripſit Nuntio Neapolitano, & Epiſcopo Caſſanen. 3. Iulij 1590.

Non mediocre affert ſcandalum Clericorum indeuotio, & infrequentia in concionibus audiendis; ideo mandamus Punctatori ſub pœna ſuſpenſionis, vt quotidie punctet abſentes tam in minoribus, quàm in maioribus ordinibus conſtitutos, qui pro vnaquaque vice carolenum vnum ſoluant ſupellectili ſacræ applicandum.

Dum Conciones habentur, prohibemus Sacerdotibus Miſſas etiam priuatas celebrare etiam in Cappellis eiuſdem Eccleſiæ ſeorſim poſitis, & remotis ſub pœna ducatorum trium &c.

Inuigilent Rectores, ne tempore prædicto concionis aliquis per Eccleſiam diſcurrat, vel tumultus excitetur, tranſgreſſoreſq; in pœnam vnius Tareni mulctet pro qualibet vice; ad notandos eos Clericum aliquem præponent. Mares à fœminis omninò ſegregentur.

De

De Caſuum Collatione. Cap. XVI.

CONſiderantes vtilitatem, & fructus, qui ex Congregatione Sacerdotum, & Clericorum pro caſibus conſcientiæ diſcutiendis oriuntur, habet enim, vt ait Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Paulinum. neſcio quid latentis energiæ viua vox; præcipimus vt qualibet ſecunda, & vltima Dominica menſis, quòd vnũquodque Capitulum, ſiue Clerus conueniat in locis à Nobis deſignandis, ibique præuijs orationibus initio Congregationum recitandis, caſus in præterita Congregatione propoſiti diſcutiantur. Animaduertant autem, quòd ex duobus caſibus omninò proponendis, vnus ſit ex morali Theologia, vel iure Canonico, alius verò ex Ritibus.& Cœremonijs Miſſalis Romani, & Breuiarij, cui ſtudio ſedulò operam dent, expaueantque illam ſententiam. Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, nè Sacerdatio fungaris mihi.

Si quis illis non interfuerit pro vnaquaq; vice, ſi legitima cauſa non adſit, & à Præfecto probata ſit, ſoluat carolenos duos, quorum vnus Præfecto, alius ſeruitio dictarum Congregationum applicabitur, pro emendis videlicet libris, & alijs neceſſarijs. Caſuum reſolutorum liber à Secretario conficiatur, vt Nobis in viſitatione exhiberi poſſit, vt ſi quid corrigendum ſit corrigatur.

Collationibus hiſce conuenire etiam tenentur Regulares, qui curam exercent animarum, vt Sac. Cong. reſcripſit Epiſcopo Ferrarien. 13. Octobris 1593.

Debent etiam adeſſe Rectores, Confeſſarij Monialium, & Regularium Nobis ſubditorum, & omnes Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum ex decreto Sac. Cong. Conc. Trid. ſub die 11. Auguſti 1618.

Nullus Clericus, qui compleuerit ſtudia Gramaticæ admittetur in poſterum ad Ordines Sacros ſine atteſtatione Præfecti de frequentatione collationum Caſuum quæ habebuntur ſtatutis diebus.

De Eccleſijs, earumque partibus.
Cap. XVII.

DOmum Dei decet magnificentia, opus namq; grande eſt; non enim homini, ſed Deo præparatur habitatio;neq; enim Tonſtrina, aut Vnguentaria taberna Ecclefia eſt, aut officina forenſis, ſed locus Angelorum, & Archangelorum, Regia Cœli, Cœlu n ipſum. Ideo præcipimus Vniuerſitatibus, vt Eccleſias Parochiales, quarum pleraſque tam malè inſtructas, & ruinoſas, non ſine maximo noſtri animi dolore,conſpeximus, vt ſpelunca potiùs quàm templa, & præſepia potiùs, quàm altaria dici queãt, collapſas, & malè habitas quàm citius inſtaurari curent; cum onus ſit Parochianorum ſarctas, tectaſque illas conſeruare, quando redditus Eccleſiarum non ſufficiunt, memineríntq; illud Agæi cap. 1. *Quia Domus mea deſerta eſt,& vos feſtinatis vnuſquiſque in Domum ſuam; propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt Cæli, ne darent rorem; & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum;* Alioquin cogemur ad iuris remedia, & interdicta deuenire. Præterea ſub pœna interdicti mandamus eiſdem,vbi opus erit, renouari tabernaculum, in quo Chriſti Domini viuum, & glorioſum Corpus adoratur, aſſeruaturq; cum in multis vel nimis paruum, vel vetuſtate corroſum, carioſumq; vel aliàs indecens eſt,ita vt etiã immunda animalia ingrediantur;vnde exclamamus cum Propheta In Domo Dei videmus horrenda, & cum Chryſoſtomo, Hæc ne tolerabilia, hæc ne ferenda? Mandamus etiam Altaria reformari ad menſuras conſtructæ,decentiſq;dimẽſionis, hoc eſt, vt ſint duorum cubitorum latitudinis, & quatuor cubitorum longitudinis,ſpatio ſex menſium ſub pœna interdicti; habeant etiam duplicem apparatum mapparum, ſiue tobalearum, vt dum ſordidæ mundantur, aliæ reponi poſſint, & telam,ſeu ſtragulum deſuper ad puluerem arcendum, quæ tamen celebrationis tempore amoueantur, & altaria ſub quorum predellis cadauera ſunt ſepulta interdicantur, donec in alium defererantur locum, vt Sac. Cong. reſcripſit Archiepiſcopo Tranenſi decimo Nouembris 1599.

In

In Predellis Altarium Laici ne ſedeant, neque bracchijs, aut humeris Altaribus innitantur ſub pœna duarum librarum ceræ albæ, etſi poſt duplicem commonitionem Curatorum contumaces perſeuerauerint, excommunicabuntur.

Eccleſiæ ſolum ne excauetur pro tumulandis cadaueribus; ſed in ſepulturis iuxtà Conſt. fel. record. Pij V. *Cum primum Apoſtolatus*, ſepeliantur, idq; Rectores ſeruari faciant ſub pœna librarum quindecim ceræ albę. Claues Eccleſiæ à Rectore, vel Sacriſta ſeruentur, qui nec tradat alicui abſque expreſſa Rectoris licentia ſub pœna excommunicationis, & alijs arbitrario, & hoc magis ſeruetur noctis tempore.

In Cappellis extra Eccleſias, quæ oſtia habent, nemo audeat, vel triticum terere, vel alias fruges, fructus, & ligna, cęmentaque reponere, niſi hæc eidem Cappellæ deſeruiant, ſub pœna excommunicationis.

Cœmeteria ab omni arbore, & herba expurgent, ita Sac. Cong. Epiſcoporum in Vercellen. 20. Ianuarij 1579. Patentia verò vndique muro vallentur, & clauſa retineantur, erecta cruce in medio, quod ſi hoc in aliquo loco Parochiani exequi nequierint, Rectores oſſa defunctorum indè exhumari, & in loco commodiori pro Cœmeterio extruẽdo reponi faciant, & hoc infra quatuor menſes ſub pœnis arbitrio Noſtro &c. Campanæ Eccleſiarum Deo Sacræ ſint, eique certis Eccleſiaſticis Ritibus dedicentur, nefas eſt profanis vſibus, & contra Eccleſiaſticam manſuetudinẽ eas deſeruire. Nolumus igitur illas pulſari poſſe contra Bannitos, aut alios facinoroſos homines, vt ſcilicet armati conuocentur ad illos perſequendos, quod ſi Vniuerſitates incommodum aliquod ex hoc ſenſerint propriam ſibi comparent Campanam in loco extra Eccleſiam ad hunc vſum reponendam; dũmodo ſub hac conditione eaſdem campanas Eccleſijs Vniuerſitates non donauerint; tali enim caſu id interim tolerabimus. Cœterorum nemo ex Clericis audeat campanas ad hunc finem pulſare.

Præterea in Virtute Sanctæ Obedientiæ ſtrictè mandamus ijs, quibus ex debito munere id competit, vt inſigni vigilantia quæcumque immunda colluie, lutique proiectio, & ſordes ab Eccleſijs, eorumque Cœmiterijs, & parietibus arceantur: à puluere pariter

ter,& ab araneis Eccleſiam,& Oratoria crebrò mundentur,& pauimenta ſæpius verrantur.

Nil in Eccleſijs innouetur, vel deſtruatur ſine noſtra licentia in ſcriptis ſub pœna interdicti; Sæculares nullum habeant proſpectum à ſuis ædibus in Eccleſiam per feneſtras, cum hoc ſit proprium Epiſcopi, vt reſcripſit Sac.Cong.in vna Elburen. 19.Iunij 1604. neque vllum habeant aditum,ſiue ingreſſum ex ſuis domibus in eam abſque licentia Sac. Cong. id enim apertè colligitur ex reſcripto Sac.Cong. Epiſcopo Vicentino 15. Februarij 1647. Nemo Eccleſijs vtatur loco tranſitus, neque in ijs quid incongruum peragat, maximè tempore, quo diuina celebrantur officia, ac Dei verbum prædicatur. Feneſtræ Eccleſiarum recludantur, vel vitro perlucido, vel tela cerata ad imbres, & ventos repellendos, atq; etiam aues. Tectum ita benè coopertũ cuſtodiatur, vt ne vel gutta quidem aquæ indè in Eccleſiam diffluat, ſi quod autem appareat ſtillicidium, ſtatim inſtauretur, atque opportunè prouideatur, ne parietes aliquod detrimentum patiantur.

In Sacreſtiam non ſolùm nullo tempore, nulloq; prætextu fœminis debet ingreſſus patere;ſed quantum poteſt id laicis omnibus prohibeatur, quod intelligendum ſtatuimus etiam quoad Chorum.

In Sacriſtia ſit locus aliquis aptus ad orandum, ne propter loci incommoditatem preces antè, & poſt Miſſam recitandæ ab ipſis Sacerdotibus omittantur; ſit item ibidem fons ad hoc, vt Sacerdotes ante, & poſt Miſſæ celebrationem manus abluere poſſint.

De Immunitate Eccleſiarum. Cap. XVIII.

ABſolutio illorum, qui contra Conſtit.Greg.XIII.de Eccleſiarum immunitate illam violare auſi fuerint, eſt Sanctiſſimo Dño Papæ reſeruata, vt ex decreto Sac. Cong. Epiſcopo Tropien.9.Octobris 1618.Ideoque nemo tam ex Regularibus,quàm ex ſecularibus illos abſoluere poterit.

Cenſuras in ea contentas extendimus ad auxiliantes, conſilium dan-

dantes, fauentes quomodocumque; Nobis tamen abſolutionem in hoc caſu auxilij, conſilijque præſtiti reſeruamus. Aſt ne facinoroſi homines, & delinquentes hoc beneficio abutantur, prohibemus Clericis ſub pœna excommunicationis, & aliis Noſtro arbitrio, ne delinquentes huiuſmodi ſine noſtra licentia in ſcriptis recipere audeant, & ſi ipſimet delinquentes inſtanti periculo eò confugerint, ijdem Clerici teneantur quàmprimum Nos certiores facere; ſimiliter ſi quiſpiam reum ad Eccleſiam confugientem extrahere tentauerit, Nobis ſub eadem pœna ſignificet. Contra Regulares verò extant decreta Sac. Cong. ſub die 11. Aprilis 1602. & ſub die 7. Maij 1595. quod Rectores Monaſteriorum, vbi delinquentes, aut alij huiuſmodi inuenti, vel detenti fuerint, officio priuentur.

Nullæ delictorum inquiſitiones, cadauerum inſpectiones, aut alia criminalia iudicia in Eccleſijs fiant, ſi quæ verò occiſorum corpora in Eccleſia illata inſpicienda ſint, id non fiat ſine noſtra licentia in ſcriptis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & tunc illa extra Eccleſiam aſportentur. Nec ſimiliter contractus præter matrimoniales, & alij qui pietatem reſpiciant, in Eccleſijs fiant, & ideo teſtes ibi non examinentur, nec aliquis actus fiat ad forum pertinens ſecularem ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

In Regno Neapolitano vltra caſus exceptos in Bulla Greg. XIV. eorum, qui non gaudent Immunitate Eccleſiaſtica ex reſcripto Sac. Cong. Archiep. Neapolitano prima Iulij 1622. Nec etiam gaudent dicta immunitate tondentes, & falſificantes monetas, ſclopis paruis, & breuioribus menſura ordinaria homicidia committentes, & in locis immunibus commorantes, & inde exeuntes ad perpetranda delicta, & poſtea ad eadem redeuntes, ſiue confugientes.

De

De Bonis Eccleſiaſticis, illorumque Immunitate, Clericorum libertate, ipſorumq; animalibus, & Cuſtodibus animalium. *Cap. XIX.*

BOna miniſtrorum Dei ſuſtentationi deſeruientia Dei cenſentur; ideo in ipſorum occupatores detentoreſque cenſurarum gladio vltore inſurgendum eſt, & in memoriã reducentes pœnas à Sac. Conc. Trid. præcipuè ſeſſ. 22. cap. 11. inflictas.

Bona libellaria, & Emphyteutica non poſſunt alienari, nec permutari quocumque modo, etiam alienationis latè ſumpto vocabulo, nec pro dotibus filiarum aſſignari, niſi requiratur ſaltem conſenſus Domini directi infra menſem à die celebrati contractus, & infra duos Eccleſiæ, ſeu loco pio ſaltem ſimplex copia huiuſmodi aſſignationis exhibeatur, & in Inſtrumento fiat ſpecialis mentio, quòd bona illa ſint libellaria, & emphyteutica, aliàs contractus ſit ipſo iure nullus, & Alienans ſubiaceat pœnis arbitrio noſtro.

Cum præteritis temperibus multa bona Eccleſiarum, & præcipuè Canonum exactiones ex incuria, & variatione Procuratorum maximo cum detrimento perierint, cupientes huic iacturæ opportunè prouidere, hortamur, & in Domino ſuademus tam Capitulo Noſtræ Cathedralis, quàm Collegiatarum, vt faciant diſtributiones Præbendarũ cognoſcẽtes inde exorituram eſſe euidentiſſimam Eccleſiarum vtilitatem.

Sciant etiam, qui indirectè Clericos onerare curant grauantes in taxatione parentes, fratres, vel propinquos Clericorũ ſe incidere in cenſuras Bullæ Cœnæ.

Sub prohibitione alienationis bonorum Eccleſiaſticorum iuxtà terminos Extrauagantis *Ambitioſè* comprehendi etiam bona Hoſpitalium Ordinariorum authoritate erectorum, & Confraternitatum declaramus, adeo vt non liceat illa abſq; neceſſario aſſenſu alienare.

Horum Hoſpitalium, & Confraternitatum bona eiſdem potiri priuilegijs, quibus, & cetera Eccleſiaſtica. Sacra enim Cong. reſcripſit

pſit Vicario Barenſi 30. Iunij 1617. Ne ſineret moleſtiam inferri Confraternitati Sanctiſſimi Corporis Chriſti Terrę Grumi ob fidam Vaccarum à miniſtris Laicis.

Damnificantes bona Eccleſiaſtica, ideſt recidentes arbores, & ramos fructiferos, herbis, & glandibus ad pecudum pabula vtentes, fructus colligentes, ſepes diſrumpentes, ſeruitutes imponentes, limites infringẽtes, terminos amouentes, aquas, & torrentes immittentes, ligna cædentes, partem territorij occupantes, & his ſimilia peragentes, dummodo damnum leue non ſit, in excommunicationem latæ ſententiæ incidere decernimus; ita ętiam Notarios, & alios, quibus nota eſt aliqua diſpoſitio, & eam Nobis non ſignificant poſt tres menſes à die obitus Teſtatoris.

Declaramus etiã fori priuilegio, & immunitate à vectigalibus gaudere Oblatos ex mente Sac. Cong. Conc. Trid. ſi in forma iuris valida perpetuò, irreuocabiliter, plenè, & cum effectu ſe ipſos, & bona ſua omnia præſentia, & futura, nulla prorſus quàm minima eorum portione, neque in proprietate, neque in vſufructũ ſibi reſeruata, Eccleſiæ obtulerint, & habitum aliqualiter mutauerint; ſi autem hæc omnia ſimul non concurrant, gaudere non debent.

De Vita, & honeſtate Clericorum. Cap. XX.

NIhil Populum magis ad pietatem, Dei cultum, ac Religionis obſeruantiam inflammat, quàm eorum vita, & exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt. Eſt enim Sacerdos, vt ait, Hieronymus ſtomacus in corpore toto, ſanus ſanat, æger inficit omnia; ideò, vt ait Ambroſius, ſobriam à turbis grauitatem, ſeueram vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vindicat Sacerdotalis. Mandamus igitur Clericis cuiuſcumque gradus ſint, ne Bannitos, alioſque huiuſmodi recipiant, ſub pœna priuationis beneficiorum omnium, bonorum, ac dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis cum alijs contentis in Conſtitutionibus Romanorũ Pontificum. Arma non deferant ſub pœna excommunicationis, prout in Pictauienſi Concilio ſtatutum eſt. Aleis, ſeu chartis luſo-

ſorijs, talis, pila, globulo caſeo, vel ligneo, aut alio eiuſmodi indecoro ludi genere publicè ludere, ludoſue ſpectare, aut participes aliquo modo eſſe, choreas exercere, perſonatos incedere, venationi, fabulis, comœdijs, alijſue histrionum impuris actionibus vacare etiam in ſecreto, inter epulas canere, nuptialibus conuiuijs intereſſe Clericis omninò prohibemus, prout Innocentius tertius diſpoſuit in Concilio generali ſub pœna pro prima vice carcerationis per menſem, quod ſi iterum moniti non deſiſtant pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant. Comam non nutriant, ebrietatis vitium, ex quo multa mala procedunt, ſub ijſdem pœnis deuitent, ad tabernas non accedant, niſi itineris neceſſitate coacti, idque ſi alicui acciderit, tunc vna cum mulieribus, ſi quæ ibi forte reperiantur, non diſcumbat; mulieres domi ne retineant, matre, ſorore, amita, matertera, & fratrum vxoribus exceptis. Clericalem habitum non dimittant, negotiationes, & mercaturas non exerceant; liceat autem ijs proprias, & patrimoniales terrulas per colonos, & famulos colere, & conducere Eccleſiarum, vel Eccleſiaſticorum territoria; Inſuper paſcua, vt pecoribus proprijs pabulum parent; imò ipſa pecora etiã pro territorijs proprijs impinguandis, & paſcendis habere, illaque vendere, vt perſæpe Sac. Cong. reſpondit Nuntio Neapolitano, præcipuè 15. Nouembris 1616. pro Epiſcopo Teleſino, & eodem die eidem pro Clero Pali. Qua de cauſa ne ſubditi Noſtri à Subcollectoribus vexẽtur, iniungimus Noſtris Vicarijs foraneis, vt ſuper hoc inuigilent ſub pœna ſoluendi de proprio, reſarciendique damnum, & intereſſe illatum Eccleſiaſticis ſubditis.

Dominis Temporalibus Agentes, factores, negotiorum geſtores, rationum præpoſiti, aut domui, vel capſerij nullo modo ſint ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, nec deſeruiant ad litteras mercede deferẽdas, in vineis colẽdis, vel potandis, nec vllum rurale, aut vile opus, conditionis ſuæ memores mercatorum more exerceant.

Non fungantur officio Procuratoris, Tutoris, Curatoris, Fideiuſſoris, & Tabellionis, vel Aduocati; vel alio ſimili, nec coram Iudice ſeculari cauſas agant, niſi ſuas, ſuæ Eccleſiæ, vel ſuorum, vel miſerabilium, pro quibus licentiam à Nobis obtineant ſub

pœ-

poena Noſtro arbitrio. Sac. enim Cong. Epiſc. Interan. 13. Iulij 1646. reſcripſit, Non licere Clericis exercere tutelas aliorum, niſi legales, hanc enim indulſit in vna Verulan. 15. Februarij 1647.

Item nec querelas ciuiles exponant ſine licentia, nec examini ſe ſubijciant, quæ licentia nullatenus concedetur, quando, ſaltem indirectè, criminalitas inde poſſet exoriri, vt habetur ex reſcripto Sac. Cong. Epiſcoporum in Placen. 19. Iulij 1629.

Clericis etiam coniugatis, & Eccleſiaſticis omnibus à Diœceſis noſtræ finibus abeſſe non liceat, niſi litteris noſtris datur ipſis facultas ſub pœna carcerationis; Parochis verò non liceat extra Parochiam pernoctare ſine expreſſa licentia.

Decentem tonſuram, & veſtes tam inferiorem, quàm ſuperiorem ad talos vſque demiſſas ſemper geſtent ſub pœnis contentis in Conſtitutionibus Sixti V. fel. record. incipientis, *Cum ſacroſanctæ* & quo ad Clericos non habentes beneficia, vel penſiones, qui in ſacris ſunt ſub pœna ſuſpenſionis, & quoad alios amiſſionis priuilegiorum Clericalium; Itinerantibus tamen veſte viatoria vſque ad genua vti poſſe concedimus.

In publicis plateis ne conſideant, laicorumque conuentum, & familiarem conſuetudinem declinent; hinc enim Clericorum contemptus exoritur.

Clerici in minoribus quolibet menſe communicet ſub pœna vnius ducati, cuius medietas Rectori, vel alteri, qui defectum detegerit, applicabitur; in ſacris verò conſtitutis bis in menſe, aliàs ad altiores ordines nõ promouebũtur. Conueniant ad conferentias caſuum conſcientiæ, & ſacrarum ceremoniarum; interſint etiam diebus Dominicis, & feſtiuis Miſſæ cantandæ ſub eadem pœna; Congregationes etiam frequentent, quas in vnaquaq; Eccleſia erigi maximè exoptaremus, Concionibus, & ſacris lectionibus ſemper interſint, ſacra volumina præ manibus habeant, præcipuè Bibliorum, Concilij Trid. Cathechiſmi Romani, & Summas caſuum conſcientiæ, maximè Toleti, Nauarri, inſtar omnium, & Caetani, & Notitiam Confeſſariorum P. Ioſephi Auguſtini illaq; attentè perlegant, alioſq; pios libellos. Qui ſemel Clericatum renunciarunt ad reſumendum habitum amplius non admittãtur, niſi cauſa à Nobiſmet cognita; nemo enim mittens manum ad

aratrum, & reſpiciens retrò aptus eſt Regno Dei, ſed illis pateat via, quam ſemel elegerunt, & hoc præſertim, ſi ob delictum habitum dimiſſerint ex decreto Sac. Cong. directo ad Epiſcopum Sulmonenſem 7. Iunij 1619.

Sunt nonnulli, qui beneficia plerumque de iure patronatus in hac Diœceſi aucupantur ad effugiendum præſertim laicale forum, quod vel dignoſci liquidò poteſt ex beneficiorum tenuitate, & oneribus, & ita pedes in diuerſis ponentes, vnum in Diuinis, alterum in carnalibus, laicum Iudicem deuitant, & Eccleſiaſtico non obtemperant, cum perſæpè Clerici nomine tantum ſint; re nihilominus veri laici. Vt igitur opportunè huic vitio cõſulamus præcipimus, vt nemo poſt hac ſacris ordinibus non initiatus ad huiuſmodi beneficia admittatur, etiam ſi hæc qualitas in fundatione non requiratur actu, quoties probabile dubium aderit, fori ſecularis fugiendi tantùm cauſa hæc beneficia expetere. Cœterum ſciant quod recipientes huiuſmodi beneficia, quæ aliquo modo Ordinem Sacrum exigunt, peccant mortaliter, quoties intentionem habeant non permanendi in ſtatu Clericali, ſed tranſeundi tempore opportuniori ad nuptias, ſicut etiam mortaliter peccant, ſi animum habent nullum vmquam Sacrum Ordinem ſuſcipiendi. Secundò quicumq; Beneficiatus per aliquod tempus perſeuerauerit non deferendo habitum Clericalem decentem, ipſo facto benefitio priuatus intelligatur iuxta Conſtitutionem fel. record. Sixti V. *Cum ſacroſancta*; ſiquidem præſens Synodalis publica monitio illos ſufficienter in contumacia conſtituere poteſt; & licet in fraganti non deprehendantur, teſtimonio tamen duorum virorum omni exceptione maiorum conuinci ad hunc finem. Tertiò tales Beneficiati, qui per alium Sacerdotem oneribus ſui beneficij ſatisfaciunt, minorem vno caroleno eleemoſynam tradere non præſumant; Immò neque idem Cappellanus celebrans ſpontè illam minuere poteſt ſub pœnis arbitrio &c.

De Confraternitatibus, & alijs pijs locis.
Cap. XXI.

IN numero Confratrum nemo admittatur, niſi qui Sacramenta frequentare ſolet. Commeſſationes, & conuiuia in locis pijs non peragant, & ſi alibi conuenire voluerint, bona Confraternitatum in horum ſumptum non erogent, nec mulieres admittantur ſub pœna excommunicationis.

Priores, & Procuratores locorum piorum à maiori parte Sodalium per ſecreta ſuffragia quotannis eligantur ſub pœnis arbitrio, & nullitatis actus ex decreto Sac.Cong. 21. Maij 1616. in reſcripto ad Eminentiſs.Cardinalem Creſcentium Epiſc. Reatinum; Inter illos tamen ſaltem vnum Clericum eligant; hoc enim non mediocris vtilitatis eſſe experientia comprobauit. Prædictis verò locis debitores adhuc exiſtentes nequaquam eligant.

Mandamus etiam omnibus ſupradictis reſpectiuè, quòd infra duos menſes emant librum magiſtrum (vt vocant)in quo primò adnotent omnes redditus, cenſus, ſtabilia, & mobilia:inſuper, & fides contractuum, ſiue legatorum, quæ ab eiſdem fiunt in dies; Poſt hæc ſingulis annis deſcribant diſtinctè rationes,computa,& partitas Procuratorum tam introitus, quàm exitus; expletoque anno computa calculentur à Noſtro Vicario Generali cum Archipreſbytero, ſeu Rectore loci, & Oeconomo, ſiue adminiſtratore, & alijs ex Confratribus intereſſe volentibus, delato procuratoribus iuramento de veritate dicenda ſub pœna excommunicationis, præter pœnam reſtituendi duplum de partitis occupatis, aut falsò poſitis, & deinde ſignificentur, quæ ſignificatoriæ quamprimum debitæ executioni demandentur. Reuiſiones tamen computorum Nobis reſeruamus, non retardata tamen executione,& effectuali exactione à debitoribus adminiſtrationis prædictæ, & exactores vltrà tres menſes differre non poſſint ſub pœna ſol-

lis 1638. iuxta præſcriptum cap. 9. ſeſſ. 22. etiam ſi ex priuilegio nulli reddenda eſſet ratio.

De Beneficijs Eccleſiaſticis. Cap. XXII.

BEneficiorum Eccleſiaſticorum de Iurepatronatus in hac Diœceſi adeo tenues ſunt redditus, vt perſæpe onera à pijs Teſtatoribus impoſita exequi minimè poſſint. Mandamus igitur, vt in erigendis de nouo ad minus Miſſarum eleemoſynæ ad rationem granorum quindecim taxentur. Ius verò aliquod Patronis non concedatur, qui redditus ad minus duodecim ducatorum annuorum Cappellæ non aſſignauerint; ſed tantùm acquirere poſſint ius ſepeliendi; & aliter factæ erectiones, vel donationes nullius ſint roboris, vel momenti.

Ius aliquod Patronatus in poſterum non concedatur, niſi Cappellas erigentes, vel Altaria dotantes obligent ſe, eorumque bona omnia in perpetuum, præter dotem aſſignatam, de manutenendo illa ornata cum decenti icona, ſex ſaltem mappis, duobus candelabris, Crucifixo, charta ſecretorum, lapide ſacro, puluinari, pallio, & predella; & conceſſiones aliter faciendas ex nunc annullamus; Immo mandamus noſtris Cancellarijs, vt in Bullis in futurum expediendis addant clauſulam, quòd omnia conceſſa intelligantur, dummodò prius preſens ſynodale decretum adimpleatur ſpecificè, & non aliter, neque poſſit ſuper hoc à noſtris Vicarijs diſpenſari.

Declaramus, quòd legatum pro Miſſis celebrandis in certa Eccleſia non impedit, quin beneficium ſub eodem tecto retineri poſſit, neque opus eſt diſpenſatione iuxta declarationem Sac. Cong. ad Epiſcopum Grauinæ 22. Martij 1585.

De Decimis, & Sepulturis. Cap. XXIII.

DEcimas Diuino iure pro Sacramentorum adminiſtratione Sacerdotibus debitas omnes, ad quos ſpectat, integrè ſoluant, vt ex eorum ſolutione fructuum vbertatem, corporis ſanitatem, pec-

peccatorum remiſſionem, & Regni Cœlorum acquiſitionem conſequantur; alioquin mirum eſſe non debet, ſi totum id interdum vſurpat ſibi Fiſcus, quod Chriſto aufertur, & datur impio militi, quod pio Sacerdoti negatur. Quare vt noſtri ſubditi maledictiones non ſoluentibus ſœpius inflictas euitent, Præcipimus Curatis, vt quotannis in prima Dominica menſis Iulij, & Septembris, & quoties expedire eis videbitur, publicent vulgari ſermone decretum Sac. Cong. Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 12.

Quemadmodum fidelium cadauera pium eſt Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ. Scriptum eſt enim, Mortuis non prohibeas gratiam, ſcientes quòd omnes morimur; ſic impium eſt ſceleſtiſſimorum hominum corpora ſepeliri in loco ſacro. Ab Eccleſiaſtica enim ſepultura arcendi ſunt publicè excommunicati, & denunciati, notorij Clericorum percuſſores, etiam nulla facta declaratione, aut denunciatione, Interdicti dum viuerent ab ingreſſu Eccleſiæ, occiſi in duello, aut in prohibitis torneamentis, Vſurarij manifeſti, niſi alienum reſtituerint, vel ſaltem idoneam de reſtituendo cautionem, de qua legitimè conſtet, præſtiterint, Infantes, vel adulti, qui ſine baptiſmo deceſſerint; fœtus autem in ventre matris, cum pars viſcerum ſit, ſepeliatur cũ matre, qui in peccato publico, & manifeſto ex hac vita migrauerint, nullo dato contritionis ſigno, qui ſe-ipſos de induſtria occiderint, niſi vi morbi, vel ob furorem, aut inſaniam id commiſerint, cuius rei iudicium Nobis reſeruamus, qui eo anno confeſſi non fuerint, & ſacram Communionem ex præcepto Eccleſiæ in Paſchate non ſumpſerint, aut in mortis articulo id non præſtiterint. Horum corpora, quæ eccleſiaſtica ſepultura carere debent, ita longè ab Eccleſia emandentur, vt Clericorum canentium voces indè non valeant audire, qui verò aliter fecerit pœnis in Sacris Canonibus contentis, & alijs grauioribus arbitrio noſtro infligendis plectetur; & ſi corpora eorum diſcerni poterunt, exhumanda ſunt, &

De Monialibus. Cap. XXIV.

MOniales alloqui nemo poſſit abſque licentia noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis in ſcriptis, coram quo eorum computa administratores reddere teneantur iuxta decreta Sac. Cong. ſæpius repetita; præcipuè iuxta reſcriptum Epiſcopo Regieñ. 15. Ianuarij 1616.

Cum in locis, & Terris noſtræ Diœceſis mercatores non adſint, nec publici Menſarij, depoſitum dotalium eleemoſynarum fieri mandamus in manibus alicuius probi, & benè ſtantis viri iuxta decretum Sac. Cong. ad Epiſcopum Camerinenſem 15. Martij 1594.

Prohibemus Monialibus cibum exteris parare, aut eſculenta vendere, exceptis tamen cibis minimi momenti pro infirmis, aut parentibus, & conſanguineis dumtaxat iuxtà reſcriptum Sac. Cong. prima Iulij 1616.

Confeſſarij Monialium nullatenus ingrediantur ſepta Monaſterij prætextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios. Si verò ingrediãtur ad miniſtranda ſacramenta, recto itinere, & abſque diuerticulo eant, redeantque. Nec per aliam Monaſterij partem vagentur, etiam occaſione viſitandi alias infirmas, quibus ſacramentorum adminiſtratio minimè ſit neceſſaria. Si conſtat, infirmam ad confeſſionale eccleſiæ accedere poſſe, nullo modo audeant Monaſterium ingredi, vt Sacramentum pœnitentiæ ei miniſtrent. Admiſſi inſuper Sacramentum pœnitentiæ adminiſtraturi abſque ſocio ingrediantur, idemque obſeruent in adminiſtratione Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis. Dum autem audiunt confeſſiones infirmarum, cellæ ianua ſit aperta, & ambæ Comitatrices ad eamdem cellæ ianuam conſiſtant, itaut Confeſſarius, & infirma ab eis commodè videri poſſint, ſicut eadem Sac. Cong. reſcripſit 13. Septembris 1583. Licentia ingrediendi Monaſterium in cauſa neceſſitatis medicis, chirurgis, operarijs concedi ſolita, ſingulis quibuſque trimeſtribus renouetur, aliàs illis non ſuffragetur, incidantque in pœnam Conſt. fel. record. Greg. XIII. vt reſpondit Sac. Cong. Epiſcopo Camerineñ.

28.

28. Martij 1588. Animaduertant autem omnes, qui licentiam habent à Nobis ſepta Monaſterij ingrediendi, quod ſi illa vtuntur in leuibus cauſis incidunt in Bullæ Gregorij XIII. fel. record. pœnas, ac ſi ſine licentia ingrederentur, vt Sacra Congregatio declarauit pluries, & præcipuè in vna Mediolanenſi, & in alia Bergomenſi.

Claues tabernaculi, in quo ſeruatur Sanctiſſimum Sacramentum nullatenus Monialibus committantur, ſed penes eum Sacerdotē ſemper eſſe debeant, ad quem ſpectat cura illud adminiſtrandi Sac. Cong. in vna Vallisſolitana 12. Ianuarij 1604.

In admiſſione Nouitiarũ illa admiſſa cenſeatur, quæ maiorem partem ſuffragiorum obtinuerit; dummodo dimidiam partem excedant ex reſcripto Sac. Cong. in anno 1603.

Si legere ignorauerit Nouitia nullo modo ad profeſſionem admittatur, & ad Chorum, ita decretum eſt ab eadem Sac. Cong. 12. Ianuarij 1604. pro Epiſcopo Agrigeñ. Si aliqua Monialis ſibi cellam conſtruxerit, poſt obitum de ea diſponere nequaquam valeat, vt reſcripſit Epiſcopo Auerſano 26. Ianuarij 1604.

Prorogationem termini Abbatiſſarum nequaquam concedi poſſe reſcripſit Sac. Cong. Epiſcopo Adrieñ. 20. Februarij 1615.

Quando Moniales inter ſe diſcrepantes non conueniunt ad eligendam Abbatiſſam ſui monaſterij, terminus competens eiſdem aſſignetur ad hoc, & ſi nihilominus diſſenſerint, tunc à Nobis, vel à noſtris Deputatis eligi poterit ea, quæ magis idonea iudicabitur, vt ſtatuit Sac. Cong. in reſponſione ad Epiſcopum Cremonenſem 12. Octobris 1592.

Licet coniunctis in primo gradu videlicet parentibus, fratribus, & ſororibus ſemel tantum in menſe abſq; alia noſtra licentia eaſdē ſibi coniunctas Moniales alloqui ex conceſſione Sac. Cong. Epiſcopo Sebeniceñ 16. Septembris 1596. non tamen id permittitur tempore Quadrageſimæ, & Aduentus, & diebus, in quibus Sa-

tia, ſed ſunt ſtabiliendæ in bonis ſtabilibus Sac. Cong. in Cluſin. 12. Ianuarij 1604. & 6. Iunij 1615. Dotes verò Monialium intr numerum abſque licentia expendi poſſunt in vſus communes, & in ſeruitium Monaſterij, ita Sac. Cong. Epiſcoporum in Aſiſieñ. 28. Ianuarij 1603.

Nouitiæ, & Educandæ pro annuo victu ducatos 24. monetæ Romanæ ad minus ſoluant, non computata ſupellectili, & quolibet ſemeſtri ratam anticipatè, ita cenſuit Sac. Cong. reſcribens Epiſcopo Vrbineñ. 8. Nouembris 1641.

Abſq; noſtra licentia in ſcriptis Moniales nullum contractum ineant de bonis Monaſterij, ita cenſuit Sac. Cong. in vna Cremoneñ. 22. Auguſti 1605.

In Eccleſia Monialium cùm à Nobis permiſſum fuerit alicui Sacerdoti in ea concionari, Eccleſiæ ianua claudatur, & non publicè concio habeatur, ita Sac. Cong. in Marſiceñ. 14. Februarij. 1587.

De ſententia excommunicationis.

Cap. XXV.

VT diligentiùs fideles caueant ab excommunicationis vinculo, Parochi munus ſit, eos ſæpius docere, quàm grauis ea pœna ſit, vt maior in Eccleſia non inueniatur. Vndè Sanctus Auguſtinus dicebat, Grauius eſſe, hoc ſpirituali gladio feriri, quàm illo materiali; qui enim excõmunicatione innodatur, Sathanę traditur. Dœmones autem eos non ampliùs vexant corporaliter, vt antea eueniebat, ad hoc vt homines non timeant excommunicationem, ita refert Cardinalis de Turrecremata. Verùm autem eſt excommunicatum poſſideri à Diabolo. Vnde Eccleſia pro illo viuente, nec defuncto preces publicas offert Deo, & ideo omni timore, & tremore caueant fideles ab illis criminibus, propter quæ pœna excommunicationis infligitur, vt ſunt hereſes, ſimonia, ſacrilegia, violatio clauſuræ Monialium, exactio gabellæ à Clericis, non ſoluere decimas, vſurpatio bonorum Eccleſię, & ſimilia. Addant etiam Curati quàm graue, & periculoſum ſit in excommunicatione perſeuerare. Is enim elapſo anno de hæreſi ſuſpectus redditur; & ideo ſi contingerit excommunicatum

ex

ex ſua Parochia, & Terra ad aliam accedere, ipſe Curatus ſtatim alteri Parocho ſignificare curabit, illum eſſe excommunicatum, aperiatque cauſam cenſuræ, ne vnius contagio omnes corrumpantur; & vt excomunicatus, dum ab omnibus ſe vitari viderit, ad reconciliationis gratiam obtinendam faciliùs inducatur.

Quos verò cum excommunicatis euitandis communicare, aliaque facere, quæ in illo carmine continentur, *Os orare, vale &c.* nouerint Parochi, noſtro nomine deterreant, moneantque, vt ab his deſiſtant, quod ſi monitionibus huiuſmodi non obtemperauerint, ſtatim ad Nos deferant, vt iuxta terminos Can. *Statuimus de ſententia excommunicationis in ſexto*, ad remedia opportuna deuenire poſſimus, declarando iſtos maiori excommunicatione irretitos.

De Vicarijs Foraneis. Cap. XXVI.

CVm Vicarij foranei nuncupati in ſuis locis ab Epiſcopo ſint delegati, eumdemque repreſentent in ijs, quæ ad iuriſdictionem ſpectant, huiuſmodi perſonam, qua decet grauitate, & prudentia induant. Eorum munus eſt Clericorum diſciplinam promouere, vt Eccleſijs præſertim inſeruiant monere; & Eccleſias, & Oratoria inuiſere, & quæ à Nobis in Viſitatione generali, vel in Synodo ſancita fuerint, vt executioni mandentur, querelas, ſi quæ inter ipſos Sacerdotes, & Clericos fuerint, audire, & cōponere, & ſi graues ſint ad Nos deferre, ideo ſi quis iſtorum proceſſum aliquem, vel delictum occultauerit pœnam luat ducatorum 25. & indignus tali officio declarabitur, eamdem etiam pœnam luat, niſi infra octo dies ad ſummum, proceſſum vtcumq; compilatum ad noſtram Curiam tranſmiſerit.

tibus in hac Diœceſi, & ijs, qui per vnum tantùm diem panem; & alia ad victum diurnum neceſſaria quærunt oſtiatim.

Cum ad eorum munus etiam ſpectet licentiam in caſibus permiſſis opera ſeruilia faciendi in diebus feſtis concedere, mandamus, ne talis licētiæ intuitu aliquod, vel munuſculum exigant, recipiantq; ſub pœna excommunicationis, & alijs etiam corporalibus. Permittimus tamen illis quod ſibi, & executoribus tertiam tantùm partem pœnarum à controuenientibus exactarum applicent ex reſcripto Sac. Cong. Epiſ. Theanenſi 5. Februarij 1592.

Nullam ſupra ceteros Presbyteros prærogatiuam, ſiue præcedentiam Vicarios foraneos prætendere poſſe reſcripſit Sac. Cong. Archiep. Tarantino 5. Iunij 1584.

Iniungimus etiam eis, vt nihil aliud præſtare debeant Curſoribus noſtris præter ſimplex cubile, & lumen, cum congruum illis à Nobis ſit aſſignatum ſalarium ex pœnis criminalibus iuxta reſcriptum Sac. Cong. Vicario Apoſtolico Licien. 14. Octobris

De Obſeruantia in Noſtro Tribunali, & Archiuio. Cap. XXVII.

MOnitoria reuelandi cauſa nullatenus concedantur ad detegenda delicta, vel delinquentes, vt reſpondit Sac. Cong. Epiſcopo Aprutino 22. Aprilis 1616. neque ad reperiendos teſtes in cauſa criminali, etiam ſi ſit ad reorum defenſionem, prout decreuit Sac. Cong. reſcribens Archiepiſcopo Campſano 28. Nouembris 1589. adeo vt etiam ſi adeſſent reuelationes, eas in criminalibus non probare Sac. Cong. cenſuit reſcribendum Epiſcopo Senogalien. 6. Iulij 1619. Vnde mandamus, quod ſemper cum hac clauſula à noſtris Cancellarijs concedantur, vt illis in criminalibus non vtantur.

Monitoria huiuſmodi pro rebus tantùm occultis expediantur, quãdo veritas aliunde haberi non poteſt ex decreto eiuſdem Sacræ Cong. in litteris ad Epiſcopum Sauonen. 15. Ianuarij 1619.

Circa quantitatem verò, ob quam concedi poſſunt, ſtilus antiquiſſimus huius Curiæ Epiſcopalis ſeruandus eſt, ſcilicet ducatorũ ſex ad minus, ſtante paupertate, & tenuitate Diœceſanorum.

In publicatione litterarum monitorialium Apoſtolicarum in forma *Significauit*, tenor nullatenus alteretur, neque res, aut particulares perſonæ clariùs exprimantur, quàm in eiſdem Apoſtolicis monitorijs expreſsè mentio facta fuerit, vt reſcripſit Sac. Cong. Archiep. Vrbinati 21. Iulij 1617. neque articuli formentur publicandi, ſed tantùm leg antur contenta in dictis litteris lingua vulgari, & ſi fortè praxis contraria inoluerit, omninò abolendã mandauit Sac. Cong. Archiepiſcopo Campſano menſe Ianuarij 1590.

Pro iuſtificandis ijſdem Apoſtolicis monitorijs in forma *Significauit*, pro purificanda clauſula, *ſi cauſa per te diligenter*, non eſt opus examinare teſtes; ſed ſufficit iuramentum obtinentis, quòd contenta in monitorijs ſint vera; ita ſeruari mandauit Sac. Cong. Archiep. Firmano 17. Ianuarij 1594.

In decretis ad contrahendum aliquod matrimonium ſemper addatur clauſula, dummodo Contrahentes ſciant rudimenta fidei, nec aliter, vel alio modo concedantur.

Cum pœnitentia ſalutaris in alicuius excommunicati abſolutione venerit imponenda, illa non ſit pecuniaria, ſed orationum, ieiuniorum, viſitationis Eccleſiæ, perigrinationum, & his ſimilium, ita fieri iuſſit Sac. Cong. Epiſc. Tifernati 9. Auguſti 1594.

Si quis repulſam à Nobis habuerit alicuius petitionis, quæ gratiam, vel iuſtitiam contineat, non recurrat ad noſtrum Vicarium Generalem, nec è contra. Hoc enim modo faciliùs deceptiones, & mendacia ſubtexuntur, vt fugiant Iudicem magis totius veritatis conſcium. Contrafacientes per tres menſes carceribus mancipentur, præter nullitatem actus.

Nemo ex Eccleſiaſticis in foro ſeculari abſque noſtra licentia examini ſe ſubijceat, & tunc iuramentum in noſtro Tribunali, vel in manibus Vicariorum foraneorum de veritate dicenda præſtent,

Archiep. Roſſanen. 15. Februarij 1583.
Diſpenſationes matrimoniales propter anguſtiam loci obtentæ adhuc executioni demandandæ erunt, licet teſtes deponant, quod homines loci, ſiue Terræ illius ſint omnes paris conditionis, vt reſcripſit Sac. Cong. Vicario Alban. 13. Februarij 1596.

Decreta Generalia.

AD horum Synodalium decretorum obſeruantiam, neminem obligare intendimus, niſi tranſactis duobus menſibus poſt illorum publicationem.

Vbi nulla eſt adiecta pœna, illa noſtro arbitrio erit infligenda.

Decreta, quibus excommunicationis pœna non fuerit annexa, nolumus quod obligent ſub peccato mortali, niſi in iure aliud cautum reperiatur, vel adſit tranſgreſſoris contemptus.

De Iudicibus, & Examinatoribus Synodalibus.

OBtemperantes Sacri Concilij Tridentini conſtitutionibus in hoc præſenti Synodali conuentu eligimus in Iudices Synodales vſque ad futuram proximam Synodum.

R. D. Vicarium noſtrum Generalem Dioniſium Barotium V.I.D.
D. Marcum Tancredi Canonicum, & Primicerium maiorem.
D. Hieronymum de Auguſtinis Can. & Primicerium minorem.
D. Ioſephum Spaccamiglium Canonicum.
D. Franciſcum Lucianum Can. & Pœnitentiarium maiorem.

Examinatores Synodales eligimus.

D. Io. Baptiſtam Marra V.I.D. Canonicum, & Theſaurarium.
D. Alexandrum Paſſarum Canonicum.
D. Gratianum Paſſarum Canonicum I V.D.
D. Franciſcum Ciardum I.V.D. Can. & Sacrarum paginarũ Lectorẽ.
D. Camillum Sauina Canonicum.
D. Antonium Plantone Parochum Sancti Nicolai.
D. Angelum Spada Archipreſbyterum Terræ Montisleonis.

FINIS.